













XV
GEOR

PHLEBOTOMIA LIBERATA,

ET

DE FEBRIBVS

Dissertationis prodromus.



PHLEBOTOMIA LIBERATA,

SIVE

APOLOGIA

Pro ſanguinis miſſione in febribus, alijſque morbis magnis,

QVA RESPONDETVR

DOMINICO LA SCALA MESSANENSI.

Accedit de febribus diſſertationis prodromus

JN EPISTOLA

AD PAVLVM FRANCISCVM BRVNI.

OPVS

MATTHÆI GEORGII

Patricij Albinganenſis, ac Medici.

DICATVM

JLLVSTRISSIMO DOMINO

D. FELICI SPINVLÆ

PATRICIO GENVENSI,

MARCHIONI CABELLÆ, MORBELLJ, &c.

COMITJ MONTALDJ.



GENVÆ, M. DC. XCVIJ.

Typis Antonij Caſamaræ. In Platea Cicala.

Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. FELICI SPINVLÆ

PATRICIO GENVENSI,

MARCHIONI CABELLÆ, MORBELLJ, &c.
COMITI MONTALDJ.

PRimam de re Medica lucubrationem meam, tibi, Illustrissime Domine, nuncupare, inuicta me cogit obseruantiæ ergà te meę necessitas;

ſitas;ac non parum ſolatij fęneratum iſtud officium reddit, ſi Nobiliſſimæ Domui tuæ ſingularium in me meritorum pręſtantia deuinctus,qui non alia ratione grates referre condignas valeam, notum ſaltem omnibus faciam grati animi mei monumentum. Perexiguum equidèm eſt opuſculum, quod tibi dicare auſus ſum; ſed vt primitiæ florum, & fructuum, quamquàm paucis collectæ manipulis, offerri Principibus conſueuerunt, ità non dedignaberis tenuiſſimas laboris mei haſce primitias excipere, qui, inter Excelſæ, ac Sereniſſimæ huius,quam colimus, Reipublicæ Magnates, nulli ſecundus es. Quod ſi has libens acceperis, ſpes magnas fert animus fore vt nedùm gratiam, quam à ſemetipſo mereri opus non poteſt,à dignitate tua mu-

tuetur,

tuetur, ſed iſta, quam liberare aggreſſus ſum, rationalis medicinæ vetuſtiſſima veritas, fruſtrà obnubilata, feliciſſimè refulgeat; ad hoc enìm, ſi tenuitas mea non ſuffecerit, authoritas tua collimabit; ſiquidèm (vel me proauorum tuorum laudes omninò ſilente) palàm eſt amplitudo peruetuſti, atque inclyti generis tui, non in Patria tantùm Ciuitate, ac Republica, non in Italia ſolum, ſed in tota Europa, in toto Orbe ad ſumma honorum faſtigia, & belli, & pacis ſemper euecti; adeò vt nominis tui ſplendor, magnum vbique locorum decus operi, quàmuis exiguo, ſit allaturus. Sed conceptas animo ſpes ingeminat eximia indoles tua; quippe maiorum tuorum, aut illis coniunctorum Heroum, qui elapſis temporibus tibi prę̨luxerunt,

gloriam toga, & armis partam, rara integritate animi proſequeris, omnibus ad vtrumque munus idoneis diſciplinis inſtructus, in omni eruditionis genere, in omni doctrinæ grauitate, in phyſicis, & mathematicis ſcientijs, in omni demùm philologia, & varietate linguarum apprimè verſatus. Ego quidèm iuremerito conſilium, prudentiam, iudiciumque tuum tanti facio, vt nullatenùs aduerſariorum garulorũ ictus timere poſſim, qui authoritatis tuæ clypeo protegar. Deus te, ac meritiſſimam Domum tuam diù incolumes ſeruet, vt ardenter vouet.

Amplitudinis tuæ

Cultor Obſequentiſſimus
Matthæus Georgius.

AD

AD DOMINICVM LA SCALA MEDICVM MESSANENSEM.

PRÆFATIO.

RAra temporum felicitas, vbi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet! Improba est in omni scientiæ genere (vt iure meritò conquæreris) consuetudo illa iudicandi ex plurium testimonio; libera enim semper esse debet in rerum disquisitionibus sua vniuscuiusque sententia, & quidquid sentimus, liberè proferre decet. In hoc saltèm vir ornatissime consentit ratio nostra. Tu generosa ingenij libertate veterum præcepta tot sæculorum experimentis confirmata circà vsum phlebotomiæ nedum oppugnas, sed *floccipendes, ac feruida tuum iecur adurente bile* immani censura explodis; imò vel ipse *opellæ tuæ* titulus: *Phlebotomia damnata à Dominico la Scala*, eximiam indolem animi tui præsefert. Hanc, & ego libertatem laudo, ac tametsi fortasse Galeni manes, hoc

Tacit. Hist. lib. 1.

Dominic. la Scala ad Lect.

titulo inſpecto, ſicut ille increpuit olim Theſalum, ità *feruida bile* aduersùs te inſurgerent, eo quòd, elata, & effera vi animi, *contrà omnem antiquitatem coroneris, ipſequè à te victor declareris*; ego tamen iterùm generoſitatem tuam laudo. Patere autem viciſſim egregie vir libertatem quoquè meam dicendi, & ſi fortaſſe aliqua in diſceptando verba occurrant, quæ laudes tuas non reſonent, ea ſtudio veritatis imputa, ſiquidem hæc, falſam, quæ te decepit, ac per te vulgus incertum quoque decipit, opinionem reſpuens, nos te in omnibus laudare non permittit; enìm verò, ſi feruida aliquandò tuum iecur bilis adurit, & nihilominùs non id tibi, vt vitium imputo, quinimò potiùs acrem ingenij vim, ac generoſam indolem admiror, æquo animo patieris me paulò acriùs pro veritate certantem, cum præſertìm nullo feruore bilis exardeſcam.

Primùm itaque, vt præfationes tuas aduertamus, tu ſciolos à lectione tui libri abſtinere mones, & *oculta non minùs, quam vtilia ſapientibus te prolaturum polliceris*; cum verò non deſint hoc ſæculo ſapientes, nec vnquam temporibus anteactis defuerint viri grauiſſimi tuę opinioni aduerſantes, operę pretium erit expendere, *In epiſt. ad ſciol.*

an

an ne vetus doctrina, à grauiſſimis quoque huius çui Auctoribus propugnata, *ocultis, quæ prolaturus es*, prçferenda ſit; ego intereà tecum etiam admoneo ſciolos, vt à lectione libri tui abſtineāt, diuerſa tamèn ratione ductus; quemadmodùm enim qui longç diſciplinarum exercitationi operam dederunt, verum à falſo, & certum à dubio diſcernere ſolent, ità ſcioli viceuerſa nouitate magìs, quàm veritate oblectantur, audaces, verboſi, leues, & indiſcriminatim quibuſcumque ingeniorum flatibus compulſi, in erroneas opiniones diſtrahuntur.

Hoc monitum tyronibus interim (quibus etiam opuſculum hoc ſcribo) vtile erit, vt à nouis libris caueant, qui rectam remediorum adminiſtrandorum methodum, tot ſçculorum experimentis confirmatam, euertere conantur. Siquidem hac noſtra ætate, turbidis efflantibus inanium ingeniorum procellis, ferè vbique naufragata eſt ſacra medendi ars, & *apparent rari nantes in gurgite vaſto*. Poſtquam hoc ſçculum noua detexit oſtenditque, circa naturalem animalium çconomiam, inuenta, Galeno, & reliquis fortaſſe veteribus ignota, mirum eſt quàm audactèr ſcioli multi, bibliopolarum, & curioſorum deceptores, omnem doctrinam veterum

conuellant, & quantum eorum famę detrahat scelesta vulgarium medentium turba; scilicet nihil de re medica benemeriti sunt veteres illi, quià sanguinis circuitum non agnouerunt, vel quià microscopio non sunt vsi, vel quià non omnia peregerunt!

In epist. ad Sciolos.

Sed hoc vlteriùs præfati opportet, quo sensu nimirum intelligendi veniant *scioli*, quos tecum ego quoque admoneo, vt à lectione libri tui abstineant; tu enìm hoc nomine accipis eos, qui *vulgari philosophia tincti, ac primis medicinæ imbuti rudimentis, idoneo intelligentiæ lumine destituti sunt, nec de ijs proindè, quæ in illo* (libro tuo) *continentur, sanum ferre iudicium valent*, ideòque optimè hortaris eos, quibus *tuam sciendi formam callere semel arriserit*, vt *philosophiæ penitiora arcana perlustrent*; sed liberalitèr nimis inscios illos, atque imperitos honestas præfato vocabulo; nam falsò se se in medicina facienda veterum asseclas vocant, cum errores veterum propugnare tantùmodò verbis adnitantur, puriorem doctrinam non percipientes, vtpotè bonarum artium rudes, & ignari potiùs, quam *scioli*. Mihi verò magìs hoc nomine digni videntur illi omnes, qui nouitate quidem instructi sunt, sed, vt innui, leues, & faciles nimis ad iudicandum,

candum, qui abundè magìs eloqui assueuerunt, quam rectè sentire, qui nouitate magìs, quam veritate oblectantur, qui dubium à certo, & opinionem à scientia non distinguunt, vno verbo, qui confidentèr cuncta pronunciant. Huius generis multi sunt, qui barbara voce modernos se se iactantes, callida, atque erudita impudentia vulgi fidem sibi conciliare didicerunt, qua circumspecta, eloqui consueuerunt impudentissimè coràm illis professoribus, imò vel contrà eosdem, quos cæteroquin altioribus disciplinis operam dedisse, ac maturo pollere iudicio norunt; huiusmodi autem subuentaneorum capitum numerosa cohors non processit ex illa neotericorum schola, quæ scientias quascumque ad rem medicam pertinentes profitetur, quæq; noua huiusce sæculi inuenta non conuertit in veræ doctrinę perniciem, sed quęcumque maiores nostri firmiora præcepta tradiderunt, nouis hypothesibus confirmat, omniaque in augumentum Apollineæ facultatis confert; quinimò potiùs vereor ne ortum duxerit ex circumforaneorum genere, quorum ars in fraude consistit. Sed quo me ducit oratio? satìs est me viros huiusmodi monuisse tecum, ne hasce controuersias legant, vel saltèm (vt eorum curiositati mitiùs in-

dulgeam) ſatìs eſt ipſos admonuiſſe, vt præiudicia deponant ſua priùs, & æquo animo veritatem inquirant, vt alij omnes candidi viri procùl dubio facient. His ergò pręmiſſis, iàm, ad exemplum generoſæ tuæ libertatis, quidquid contrà venę ſectionem (ommiſſis ſuperuacaneis) ingeniosè protuliſti, liberè perpendam.

CAPVT I.

TAM varijs eruditionibus hoc primum opellę tuæ caput confertum eſt, vt difficiliùs multò ſit, quæ ad tuam propoſitam ſententiam de phlebotomia damnata pertinent, inibi inuenire, quam refellere. *Sanguinem, ais, non ad alium finem fuiſſe à natura animalibus conceſſum, ſummaque diſpoſitione, ac prouidentia, per tot canales, & ſinus diſpertitum, quàm vt ex eo animalia ipſa nutriantur, & creſcant, vtque anima corpus viuificans in eo conſeruetur; ad ſanguinis quippe diſceſſum, vitam extingui neceſsè eſt*: idque ad confirmandum Sacræ Scripturę, ac interpretum adducis teſtimonia, tanta quidem, vt ſingula me perlegere pigeat; hoc verò libens admitto, & quod exindè ſubijcis, (ſi ritè intelligatur,) concedo; nimirum *eſt ſan-*

guis (benè tamèn habens) *opobalsamum animalis, & animæ vehiculum, animæ, vitæ, spirituumq; vitalium nutrimentum, & alimentum, quo corpus vegetatur, & viuificatur, id est principium illud, sine quo non sentimus, non mouemur, nec sumus*. Non determino hic quid anima brutorum sit, an nè animalia sint mera automata, & qua necessitate in suas operationes veniant; clarissimos quidem, & doctissimos viros Io: Alphonsum Borelli, Marcellum Malphighi, & Laurentium Bellini preceptores optimos, qui præ cæteris recentioribns maximam hisce rebus prebuerunt lucem, audiuimus, horumque vestigijs inhærentes, hec fortasse attingemus in principijs nostris physiologicis; nunc autem, que disseruerunt alij, queque de ceteris ad physiologiam pertinentibus protulerunt, ad veritatis trutinam reuocare instituti ratio non patitur; & frustrà in hoc tuo primo capite congeris, prematura oratione, quecumque agitata tua reminiscentia, ex auctoribus huiusce seculi confusè collegit; sed intereà, vt propositam contradictionem nostram acritèr intendamus, nil vetat supponere, quod à Petro Gassendo, Patre Honorato Fabri, Thoma Vvillis, alijsque clarissimis viris edoctus, affirmas: *animam sensiti-*

uam aut ignem esse vitalem, *aut igni non absimilem* : quinimmò liberalitèr hic tibi dare placet
Pag. 8. *ignem vitalem à sanguinis fermentatione resultare*, in pulmonibus ope respirationis hematosim fieri, respiratione *iuuari*, *tùm miscelam sanguinis*, *tùm sanguinis motum ab vno ad alterum*
Pag. 10 *cordis ventriculum*, & *respirationis vsum*, *ad accensionem*, & *conseruationem ignis vitalis esse necessarium*. Quid ampliùs nil vetat supponere tecum, quod ex Thoma Vvillis, alijsque magni nominis recentioribus transcripsisti : accensionem sanguiuis fieri *quatenus ab aere subeunte pulmones sanguini alimentum nitrosum suppeditatur*, quamuis neque ista modo determinum, sed potiùs verear ne solidis careas rationibus; (quamobrem neque opus est hic immortalem virum Io: Alphonsum Borelli, qui nitrum istud aereum negat, contrà tuam censuram defendere). His ergò tibi liberalitèr con-
Pag. 27. cessis, quę tuę *doctrinæ cardinem stabilire* tibi
& 40. videntur, quomodò putas *in ipsas oppositorum pro phlebotomia rationes irrumpere?* Qua phalan-
Pag. 21. ge argumentorum munitus es ? Quomodò armatus nedùm contrà veterum dogmaticorum classem, sed etiam contra recentiores omnes, qui strenuè bonis artibus operam dederunt ? In cam-

pum

pum te ſperabam deſcendere, ſtatìm ac, iactantiùs, quam par ſit, verba illa protuleras: *libet nunc vlteriùs in ipſas oppoſitorum pro phlebotomia rationes irrumpere*. Sed, ſpe deluſus, te repentè vidi aliò diuertere, ac ſpecioſis digreſſionibus (ne dicam ſaltibus) aliorſum vagari, nam exindè ne verbum quidem, quod ad propoſitum certamen faciat, in hoc tuo primo capite legimus vſq; ad finem; excuſandus tamen es, quià opella tua eruditis verbis erat implenda, vt mole ſaltem ſi non pondere aliquam oſtentaret ſpeciem.

In fine tandem capitis, tanto labore feſſus, certamen inire cæpiſti hæc proferens. *Pro coronide eorum, quæ hactenùs dicta ſunt, ſubÿciendum eſſe reor non debere ſanguinem è vaſis extrahi, cùm in eo animalis vita conſiſtat. Natura ſiquidem, ad animalis conſeruationem in ſanguine generando, & generatum conſeruando, miro vtitur artificio: Multæ quidem, & variæ in illius generatione exquiruntur conditiones, quæ cum in febricitante corpore alÿſque morbis correpto deſficiant, neceſsè eſt, vt aliquantò impurus, & non omninò perfectus gignatur: Indè eſt, vt in ſuo naturali ſtatu, tàm proptèr partium læſiones, quæ in huiuſmodi artificio deſtituuntur, quàm etiam propter morborum diſpoſitionem, qua animalis*

vita necessariò debilitatur, consistere non possit ex quo sanguis causa est efficiens ipsius vitæ. Tutiùs prepterea erit Chilum, qui materia sanguinis est, vel ipsummet sanguinem opportunis remedijs corrigere, quàm illum, magno cum vitæ discrimine è venis extrahere. In summa securiùs omninò est morbos sine periculo, & læsione ægrorum curare, quam venæ sectione, & sanguinis missione, quæ vires eneruat, & corpus euidentèr debilitat.

Profectò tantis anteà rebus tua intenta mens, distracta propemodum est, ac vires suas hìc recolligere non potuit, imò ne leuitèr quidem veterum dogmata vulnerare: Quiesce iam; Quæcumque enim in hoc capite obiecisti corruunt illicò hac sola inspecta adnotatione, superiùs breui parenthesi tuis verbis addita; In sanguine videlicet benè habente, ac secundum naturæ leges constituto, animalium vitam consistere; Nam æquè verum est malè constitutum sanguinem, (vt generatìm, & breuitèr loquamur) mortis causam esse; si, mirum, quo natura vtitur artificium *in sanguine generando, & generatum conseruando*, eludat causa quæpiam valdè potens ex ijs, quas non naturales vocant, aut demùm aliquod vitium in quantitate, aut crasi, aut motu

quomo-

quomodocumque inductum, nonne vides, culpa eiusdem sanguinis, quo vita fouebatur, mortem impendere? Idem tu obscuris verbis innuis, nec profectò negari potest; Quod si ergò in febribus acutis, & magnis alijs morbis, in quibus, ob sanguinis vitium, præceps imminet vitæ periculum, tot sæculorum obseruationibus compertum est, efficacissimè, ac tutissimò sanguinis missionem aduersùs præceps periculum opportunam opem præstare, ac vitia præfata corrigere; Cur, feruida bile percitus, hoc reprobas remedium, nullo alio fretus argumento, quam auctoritate propria? sed inferiùs inter tot congesta verba, vt olìm Diogenes hominem quærebat,ità nos, si fortè aliquid, præter auctoritatem tuam, obtrudas, intenti rimabimur; In hoc enìm capite id vnum tandem asseris: *tutius esse morbos sine periculo, & læsione ægrorum curare, quàm venæ sectione, & sanguinis missione, quæ* (vt confidentissimè supponis) *vires eneruat, & corpus euidentèr debilitat.* Desideratur autem (vt excusari possit inuerecunda locutio, qua contra communem experientiam, quasi ex tripode verba promulgas) aliqua saltèm ratiuncula, qua probare coneris, in morbis non esse tutam sanguinis missionem, à prudenti Medico administratam, sed

vires eneruare, corpuſque euidentèr debilitare. Contrà enìm ſcimus, ac, non minùs demonſtratione, quam experimentis facilè conuincere poſſumus longè magìs lædi vires ægrotantis à paulò diutiùs protracto morbo, vel dolore aliquo, cui cæteroquin efficaciſſimè occurrit opportuna sāguinis miſsio, quàm ſi ſanguis ad libras effunderetur. Tu ipſe, hac doctrina, omnibus propemodum notiſſima, non indigeres, ſi expertus eſſes in medicina facienda, quod nos quotidiè palpamus, immanes dolores, ſub ipſa manu Chirurgi ſanguinem mittentis, illicò ceſſare; Non inquam, hac doctrina indigeres, ſi, hac experientia fretus, vlteriùs ratiocinari pergeres quantum ſpirituum diſſipet dolor; & eorum æquidem ſpirituum, qui puriſſimi, qui elaborati ſunt, quantamque hi proportionem habeant ad illos, quos ſanguinis educti materies nondùm elaboratos, nondùm puros continebat; Et rursùs ratiocinareris, quàm exiguam habeat proportionem, eductus venæ ſectione ſanguis, ad quantitatem, quæ remanet in omnibus arterijs, & venis, quæque abſque vllo defectu, totum id, quod ſpiritibus elaborandis integriſque actionibus exercendis neceſſarium eſt, è penu ſuo profert poſt ſanguinis opportunam miſſionem; &, peracto ratiocinio

inue-

inuenires magnam in hisce alijsque casibus virium opem afferre sacrum istud remedium, quod morbo, vel dolori eneruanti vires efficacissimè frænum imponit, non autem ipsum vires eneruare, & corpus euidentèr debilitare, vt gratis omninò protulisti. Alia, de vera virium reparatione per sanguinis missionem in morbis magnis, tibi exhibebimus, & luculentèr ostendemus vires quantitati sanguinis non esse necessariò proportionales. Nunc animaduerte nullas te rationes ostendisse in hoc tuo primo capite.

CAPVT II.

FLorilegium affers rationum, quibus nituntur, qui Galeni doctrinam de sanguinis missione profitentur; ideòq; cùm nihil aliud pręstes, nulla est hic disceptandi occasio. In hoc tantùm, præceps tuum Iudicium animaduerto, quòd, cum Auctores omnes, qui Galenum sequuntur non adhuc inter se conuenire videas, statim pronuncias methodum medendi per sanguinis missionem, *vtpotè incertam, & inconstantem, nullatenùs esse amplectendam, maximè cùm varijs diuersisque modis communitèr vsurpetur*. Pulcra sanè concludendi ratio! Nonne Pag. 48.

vides

vides hinc potiùs oppositum inferri posse; Nam si hoc vnum remedium à multis, hisque inter se se certantibus, admittitur, palam est dissidentes multorum opiniones nihil officere, quo minùs hæc generalis ratio medendi per sanguinis missionem rata sit.

CAPVT III.

HIC transcriptam exhibes nouam Thomæ Vvillis angli doctrinam, qua vsum phlebotomiæ à præcipuis Auctoribus cuiusque sæculi approbatum multis rationibus confirmat, cùm tamèn iste neothericus Clarissimus, & de re medica optimè meritus Galeni doctrinam non sequatur; Ideòquè notissimum tibi quoque est, in vsu fuisse phlebotomiam non apud eos tantummodò, qui Galeni aliorumque veterum doctrinam sequuntur, verum etiam apud celeberrimos cuiusce sæculi Auctores, te alijsque perpaucis exceptis.

CAPVT IV.

ALias Francisci de le Boè Syluij rationes affers in hoc capite, quibus ille, in sua no-

ua hyppothesi, sanguinem, quandò expedit, mittendum esse autumat, vt, quod superiùs dictum est, melius confirmari possit.

CAPVT V.

PEruetustam Hippocratis doctrinam de veteri medicina refers, & ex ea colligis *febrem, vt morbum iuxtà Coi placitum* (vt inquis) non in calore consistere; sed vel in amaro, vel salso, vel acido, &c. subdis autem: Quomodò hæc febrem cùm omnibus suis phęnomenis constituant, non fuisse ab Hippocrate explicatum, ideòque non dari, (vt loqueris) *systema* Hippocraticum febris; Quià verò neque tù explicationem hanc ab Hippocrate omissam supples, imò nihil aliud in hoc capite præstas, nil est quod hic tibi obijcere possim, cum præsertìm hęc sint à nostro instituto aliena.

CAPVT VI.

GAleni doctrinam de febribus pręmaturo iudicio indiscriminatim refellis, ego verò, tametsi soli veterum auctoritati assensum meum non pręstem, vbi magìs amica veritas obstat,

obſtat, ac tametſi hęc, & alia, quibus, vſque ad duodecimum Caput opellę tuę, nos oneraſti, doctè quidem, ac elegantèr dicta ſint, non tamèn ad propoſitum noſtrum; profectò non poſſum non mirari alacrem tuam loquendi confidentiam. Nihil ne boni protulit Galenus, aùt omnis doctrina ſua *principijs imaginarijs* innixa eſt, quià non calluit ſanguinis ſtructuram, quià neſciuit motus humorum, quia, in anatome parum verſatus, duo tantum humana Cadauera, vt ipſe fatetur, inſpexit? Apagè *omnis homo mendax*: Hallucinaris profectò vir ornatiſſime; Quid inquam ego, ſi hęc omnia, quę anatomes peritia inuenit, nota Galeno fuiſſent? Cùm ea, quę conſcripſit, ad rectam febrium curationem adeò conducant, vt oſtendere poſſim ſuam medendi methodum nouis inuentis magìs confirmari; ſed hęc veritas ex inferiùs dicendis fiet manifeſta. Intereà breuiſſimè animaduertere placet quid ponderis habeant, quę contrà Galenum obijcis. Tres adnotas Galeni poſitiones; primam, qua inquit, febrem, eſſe caloris exceſſum in corde, ac pro ſui cauſa (excepta hectica, & ephimera) humorum putredinem agnoſcere, productam à prohibita tranſpiratione. Secundam, qua ſupponit humorum quaternarium,

rium, à quibus eruit febrium differentias. Tertiam, qua inquit, in febribus continuis non symptomaticis, putredinis fodinas esse in venis. Postmodùm subdis: *præambula luce anatomica* constare suppositiones has imaginarias esse, *quia quatuor humores, quales in Scholis describuntur, non dantur in natura, vt demonstrat Helmontius, & omnes fere neoterici*; Profectò valdè docilis es, ego enìm, quidquid hac de re Helmontius, & alij neoterici dixerunt, demonstrationis vim habere non ausim dicere. Opportet diligentiùs distinguere in omni scientiæ genere, quid dubium sit, quid verò demonstrari possit; non obstantibus enìm Clarissimi Præceptoris Malphigij, & aliorum obseruationibus circà sanguinis structuram, adhùc dicere possemus in gratiam Galeni, (quamuis suæ hyppothesi non assentiamur) totam istam litem circà nomina verti. Quidquid enìm crassioris lymphę nomine neoterici intelligunt, illud pituitę nomine Galenum significasse palam est, & quidquid Clarissimus Robertus Boilè Anglus in sanguinis analisi valdè inflammabile detexit, Galenum bilis nomine intellexisse; Tùm quidquid magìs fixum eadem sanguinis analisi detectum est, Galenum melancolię nomine exposuisse. Vt ta-

ceam modo partem coccineam; quam pro sanguine quarto humore idem ipse Galenus intellexit; Quamobrem ęquum fuisset, aliquam te demonstrationem tradidisse, qua fretus, tàm alacritèr *quaternarium* humorum à Galeno traditum posses deridere.

Aliam Galeni positionem statìm refellis hisce verbis, *& postquam cordatis Viris innotuerit sanguinis motus in girum, non possunt putredinis fodinæ in venis collocari; cum sanguis iugitèr fluat per arterias, refluat per venas, & omnia perluat*. Sed neque hic vim vllam tuę rationis inuenio, ideòque (tametsi neque ego hanc Galeni doctrinam sequar,) non possum non mirari tantam iudicandi facilitatem. Lege quę doctissimus, & de re medica optimè meritus Laurentius Bellini de febribus tradidit, & percipies, non obstante motu sanguinis in girum, posse per interualla cumulari aliquid in minimis arteriolis, quod febrium circuitus pariat. Sed necesse non est Clarissimi, & numquam satìs laudati Viri doctrinam ad tua verba confutanda interpellare, cum tu parum memor, tibi ipsi contradicens inferiùs capite octauo, vt videbimus, non obstante sanguinis circuitu focos, & infarctus in minimis vasis viscerum ad-

mittas.

mittas. Subdis non posse humores putridos esse causam incalescentiæ febrilis, *cùm putredo dicat defectum particularum actuosarum in mixtis*; mitiùs tamèn agendum erat cum Galeno, qui putredinis nomen latiùs vsurpat, ita ut hoc nomine intelligi possit non ipsa putredo iàm consummata, sed alleosis, motusuè intestinus ipsius liquidi ad putredinem tendentis.

Tandèm inquis: quod *perperam febris ratio in calore extraneo consistere dicitur, cum sit symptoma à febri separabile &c.* placet autèm vel contrà propriam nostram sententiam Galenum defendere, siquidem febris nomine tu ipse intelligis id, vndè motus cordis inordinatus proximè dependet, vt innuis inferiùs. Enìm verò, vt paulò distinctiùs agamus, quemadmodùm morbus omnis generatìm non in actione læsa consistit, sed est affectio proximè lædens actiones, ità febris in eo consistere debet, vndè proximè actio læsa cordis, pulsus videlicet inordinatus, emergit. Quid ergò si pateat à caloris excessu posse motum inordinatum cordis proximè pendere? fiat quacumque de causa, imò eadem de causa, quam tu assignas, *à sanguine scilicèt plùs iuxto fermentescente* immoderatus calor, non ne vides auriculas cordis, & ventri-

culos ipsos hoc excessu caloris irritatum iri? Tùm eadem vi stimuli fluxum liquidi neruei vberiorem in sinulos villorum istius musculi concitandum esse, ac proindè frequentiores motus cordis futuros? Hoc profectò demonstrauit nuper citatus Neotericus omnium bonarum artium eximius cultor; Et quamuis multi alij sint febris producendæ modi, de quibus hic agendum non est; hanc etiam velis, nolis, causam febris esse posse constat.

CAPVT VII.

HElmontij placitum de febribus refers, ac tantum virum, qui tibi, alijsque venæ sectionem reijcientibus præluxit, acritèr etiàm refellis, vt exindè in omnibus iure meritò cauillator dici possis. Nos laudatum Auctorem, qui contrà rectam medendi methodum in febribus per sanguinis missionem disseruit, à tuis censuris defendendum hic non suscipimus, vtpotè nostræ sententiæ contrarium.

CAPVT VIII.

PYrethologiam Thomæ Vvillis acritèr consueto more tuo impugnas, nil verò nostra intereſt meritiſſimum Virum defendere; vnum tamen ſubeſt adnotandum, te in hoc tuo capite tibi metipſi contradicere, vt iam innuimus; nam ſuperiùs hæc verba contrà Galenum tamquam ex tripode prolata oppoſueras, inquiens: *Poſtquam cordatis Viris innotuit ſanguinis motus in gyrum, non poſſunt putredinis fodinæ, in venis collocari, cum ſanguinis iugitèr fluat per arterias, refluat per venas, & omnia perluat.* Cur ergò hæc tàm citò memoria exciderunt, dùm contrà Vvilliſium diſſeris, & hunc tuum omninò præfatis verbis contrarium ſermonem ſic exprimis? *Rationem Vvilliſij ſolutio eſt facillima. Concedimus Viro Clariſs. in ſtatu naturali ſanguinem liberè fluere per arterias, refluere per venas, & omnia perluere, indeque omnia corporis diuerticula luſtrare; Quid autem obſtat, quo minùs in ſtatu violento ſanguis fæculentus, & viſcidus per vaſorum capillarium anguſtias tranſcolandus, ſuis impuritatibus tranſitum præcludat, vel rumpendo, vel obſtruendo vaſa, ibique ſtagnans ſtato tempore* Cap. 6.

corrum-

corrumpatur, & exaltetur? ob eandem rationem non est denegandus visceribus focus, seù innem non est denegandus visceribus focus, seù infarctum ab impuris succis, quod fieri potest cum tumore, & citrà tumorem; Quasi verò materia vitiosa stagnans, quæ partem non eleuet in molem corrumpi nequeat, ac febrim suscitare non valeat.

CAPVT IX.

QVidquid Syluius de le Boè de febribus imaginatus est, nihil ad nostrum pertinet institutum, ideòque censuram tuam satis fusè conscriptam, vt inutilem, & alienam omittimus.

CAPVT X.

OMittenda etiam duximus, eadem de causa, quæcumque contrà Pyrethologiam Thomæ Sydenham breuitèr expositam in hoc capite obijcis.

CAPVT XI.

CVriosam Landouilettæ dissertationem de febribus

febribus non clarè admodum exhibes, ſed more tuo Carpis, neque tamen opus eſt per hęc tua commenta extrà inſtitutum noſtrum vagari.

CAPVT XII.

IO: *Alphonſus Borelli Mathæſeos Profeſſor celeberrimus in Philoſophia, & Medicina Auctor eruditiſſimus* Vir prodigiorum in demonſtrationibus, vt iure meritò inquit Doctiſſimus Bellini Sciciliarum decus, inquam ego, ab animoſa cenſura tua nõ eſt immunis. In hoc enìm tuo capite, quę tantus vir de febre tradidit, refers; Tùm Virum grauiſſimũ reprehendis, quod *commentitiam* rigoris, & frigoris explicationem proferat, *nullis rationibus, vel experimentis conſtantem*, aliaque huiuſmodi animoſa verba contrà tantum virum obijcis. Vtinam verò eruditum ingenium tuum tanta claritate donatum eſſet, quanta generoſitate abundat; Vtinam ſaltèm perſpicuam Clariſſimi Auctoris philoſophandi methodum, ac breuiloquentiam immitareris, nam, vt verum fatear, me legere valdè tędet quęcumque ſimul congeris, tùm digrediens ad Clariſſimi Charletonis placitum contrà ſanguinis fermentationem, tùm eiuſdem ratio-

Pag. 179.

nes ad examen reuocans, tùm postremò ad Clarifs. Borellum rediens; Quorsùm farrago hæc? sed cum hæc omnia, quæ ad augendum volumen tuum conscripsisti, nihil penitùs faciant ad nostram contradictionem, ad quam propero, ne commemoranda quidem sunt; agnoscent enìm, quicumque non scioli audiunt, sed verè philosophi, quid intèr Clarissimi Auctoris pretiosas lucubrationes, ac tuam censuram discriminis intercedat.

Sperabam inter tot febrium systemata (vt hoc tuo vtar vocabulo) nouum systema tuum legere, sed, spe delusus, isto etiam nùm carere litterariam Rempublicam video. Quid mea tenuitas protulerit circà febris naturam, & causas, innuam in fine huius libri. Tùm facilè erit animaduertere Galenum, tametsi non omnia tradiderit, quæ ad veram pyrethologiæ hyppothesim faciant, tutissimam tamen docuisse methodum curandarum febrium, quantum ad generalia pertinet remedia.



Expenduntur duæ ratiunculæ

DOMINICI LA SCALA

Contrà Sanguinis Missionem.

TAndem improbo labore fessus, post congesta tot Clarissimorum Virorum placita de febribus, quæ magnam opellæ tuæ partem implent, quæque me frustrà fatigarunt, redis ad propositum nostrum, duas afferens ratiunculas contrà sanguinis missionem in febribus; Inquis enìm: *Præcipuum sanè inter alia, quæ Medicis sananda obijciuntur est febris; Hæc autèm vndè proueniat, & quibus ex causis proximis generetur, & in quo consistat eius essentia, non adhùc per tot sæcula cognosci potuit, vt nuper euidentissimè ostendimus, relatis varijs Doctorum placitis. Quapropter, cum non benè sit cognita febris essentia, nescio quo fundamento ad sanguinis euacuationem deueniatur; His accedit sanguinem esse naturam, seù vitam, morborumque medicatri-* Pag. 182.

cem, vt cap. primo demonstrauimus.

In primis non credo humanæ Reip. necessarium esse scire te quo fundamento ad sanguinis euacuationem deueniatur; Multa enìm sunt nihilominùs fundamenta, quibus necessitas remedij huius innititur, tametsi non benè cognita sit febris essentia. Profectò in abditorum motuum naturalium, & naturæ ipsius disquisitionibus, vltimæ rerum differentiæ nos latent. Ecquid ideò? Nonnè generales cognitiones, quæq; ex his directa consequtione deducuntur, in omni scientiæ genere ad humanos vsus sufficiunt? satìs est scire, quod ratum est in omni hyppotesi; hoc generale theorema, seù potiùs axioma. *Vt scilicet omnes perspirationes, omnesque secretiones liquidorum ex sanguine fiunt, ità vitia, quæ ab ipsis imminutis deprauatis, aut abolitis emergunt, in sanguinem ipsum tandem refundi.* Satìs est scire (quod iàm superiùs cap. primo breuitèr innuimus, quodque fusè inferiùs demonstratione, ac experimentis palam fiet) sanguinis missionem eiusdem vitia multa corrigere.

Sed inquis sanguinem esse naturam, seù vitam, morborumque medicatricem; Papè quam præcipitantèr loqueris? Quid est natura hominis

inferior?

inferior? vel quid animalium natura? ſolus ne ſanguis, aut ſanguis quocumque modo, benè ſcilicet, vel malè ſe habens?

Sed quid capite primo demonſtraſſe confidis? Dixeras effuſa nimis oratione ſanguinem eſſe opobalſamum animalis, in ipſo vitam conſiſtere, & huiuſmodi alia, quæ ibi, vt à tuis nos ipſos liberaremus inutilibus verbis, liberalitèr ſuppoſuimus, adnotantes ſolum, quod hoc in ſtatu naturæ integro intelligi debet, non verò dùm ægrotat homo; In hoc enìm caſu, vitio eiuſdem ſanguinis, quo vita fouebatur, mortem impendere certiſſimum eſt. Neque ea, quæ illìc ad conuincendas leues tuas ratiunculas manifeſtauimus, fruſtrà ſunt repetenda.

(Examen Reſponſionum.

DOMINICI LA SCALA

Ad argumenta Galeniſtarum pro Sanguinis Miſſione.)

NVnc, ſicco pede tranſactis omnibus, quæ ab inſtituto noſtro aliena ſunt, res exigit,

vt contradictionem noſtram intendamus, & acritèr pro veritate certemus; Quocirca, maioris claritatis gratia, quæcumque contrà Galeniſtas opponis, vel quæcumque reſpondes eorum rationibus, ad examen ſingillatim reuocare operæ pretium eſt.

PVNCTVM PRIMVM.

Pag. 183. INter *præcipuas*, inquis, *argumentationes, quibus Medici, qui phlebotomiam admittunt, perſuadere nituntur ſanguinis euacuationem præſentaneum eſſe remedium ad morbos expellendos, aſſerere non verentur huiuſmodi remedium, vel ex naturæ inſtinctu indicari; ad quod probandum, exemplum afferunt depromptum ex Plinio, qui lib. 8. cap. 26. naturalis hiſtoriæ, aſſerit quoddam eſſe animal fluuiatile (quod Græci Hyppopotamon, latini fluuiatilem equum vocant) quod vbi ſe praua affectum ſentit valetudine, e fluuio in littus proſilit, & offendens acutum aliquid, vel ex arborum truncis, vel arundinum cæſuris, applicato ibi corpore, venam quandam cruris vulnerat, &c.*

Reſpondes autèm fabulam tibi videri hanc Plinij hiſtoriam, proùt olìm Auempalucæ arabico

bico Medico viſa eſt; ac non deeſſe curioſos, eruditoſque Scriptores aſſerentes ſe (vt hac de re certiores redderentur) interrogaſſe illarum regionum habitatores, in quibus id Pliniùs euenire dicit, an hoc obſeruaſſent? Qui ingenuè faſſi ſunt ſe numquam tale quid obſeruaſſe.

In primis non eſt hæc hiſtoria vnum ex præcipuis argumentis phlebotomię vtilitatem oſtendentibus; multa enìm ſunt, & multa quidem, quibus nemò fortaſſe reſpondere vmquam poterit, niſi verbis, & cauillationibus; Quod verò tu, alijque nonnulli, huic hiſtoriæ Plinij fidem negent, nihil penitùs obſtat, ſed nimis leui ratiuncula moueris, ad denegandam naturali hiſtorico fidem; facilè quippe eſt incolas præfatos regionum illarum, quos interrogarunt curioſi, numquam talè quid obſeruaſſe; Nec ideò tamèn (niſi præcipitantèr nimis) accuſare licet de mendacio Plinium; An ne curioſi illi agricolas omnes interrogarunt? An ne tàm frequentèr Hyppopotamus ægrogat, confugitque ad ſalubre vulnus, vt multis datum ſit id obſeruare? An nè incolæ illi omnes, vel plurimi hac tenentur curioſitate? An nè Hyppopotamus hanc ſuam curationem dictante natura petit coram Agricolis? Quin imò ſcimus animalia cuncta ſylueſtria na-

turæ

turæ instinctu aspectum humanum fugere. Veruntamèn fides sit penes auctorem. Et hæc intereà contrà te sufficiant, non ad ostendendam quidem huius historiæ veritatem, cuius alioquin doctrina mittendi sanguinis non eget, sed ad te monendum, vt non tàm citò, aut tàm leuibus motus argumentis, mendaces hystoricos facias.

Sed Plinium ab illato mendacio absoluere studes inquiens, *id fortuitò euenisse, &, natura* Pag. 184. *ipsa impellente, sanguinem è naribus effluxisse, non autem ex crure vulnerato*, quod cum naturalitèr eueniat, subdis mirum non esse, si sanitatem recuperauerit Hyppopotamus; *Quod enìm natura molitur, id ars efficere non potest*. Veruntamen, non ne vides hoc tuo commento præfatum Auctorem, qui rem aliter narrat, non à mendacio excusari, quin potiùs, & mendacem, & ad iudicandum procliuem nimis te Plinium facere? An verò ars efficere possit, quod natura molitur, est aliud argumentum mox expendendum.

PVNCTVM SECVNDVM.

VNum ex argumentis phlebotomiam suadentibus ex ipsa natura desumitur. Enim verò

verò quandoque natura crisim molitur per largas hæmorragias cum conferentia, & tolerantia, quamobrem rectè *inferri potest à Medico, qui est naturæ minister, ritè celebrari posse pro morborum curatione venæ sectionem*. *Respondes autèm primò facultatem Medicam naturæ solertiam imitari haud posse; Hæc enìm fermentationis, efficit motum, quo cuncta mouentur, agitantur, & reuoluuntur, & post quem similia aggregantur, heterogenea separantur*. Tùm auctoritate tua fretus, non vlla quidem ratione probas, sed tantùm ex tripode dictas: sudoris excretionem fieri per fermentationem, eadem ratione, ac exanthematum, & peticularum eruptio fit. Postmodùm arguis. *Quis vnquam Medicus has vitales operationes, venam secando imitari potest?* Concludisq; *per venæ sectionem Medicum non imitari naturam rectè operantem, sed perperam agentem, cum non rarò eueniat in similibus euacuationibus, per nares, vterum, & mariscas, naturam festinantèr ad sepulcrum ægrotantes ducere*. Posteà vberioris sermonis gratia hæc dicere pergis. *Appellant Medici prædictas sanguinis euacuationes symptomaticas, cruda scilicèt existente materia, quæ in eo consistit, docente Galeno, quod nondum vitiosum ab vtili separatum est. Separat natura à sanguine*

Pag. 184. & 185.

inutilia,

inutilia, vt diximus, non per ſomniatas facultates, ſed glandularum ope; Harum interuentu in animalis corpore depuratur ſanguis, vt notat Clariſs. Charletonius, qui licet fermentationem inficietur, vult tamèn ad heterogeneorum ſegregationem eſſe ſufficientem glandularum ſtructuram. Sed parcat mihi Vir Clariſſimus (inquis); *Verùm ſiquidem eſt glandulas eſſe inſtrumentum ſeparationis naturæ in animali; ſed præcedere debet ſanguinis fermentatio, quæ diſſociet particulas heterogeneas, vt, è vinculis ſolutæ, ſimilem inueniant in glandulis meatuum configurationem pro ſeparatione particularum heterogenearum. Et, vt à ratione exordium deſumam, aſſerendum eſt per vaſis ſectionem cum inutilibus ſanguinem euacuari, non depurari: Hoc munus natura præſtat; Quod ſane reor Galenum agnouiſſe, dùm ait naturam in morborum curatione primò coquere, ſecundò ſegregare; tertiò expellere. Per venã ſectam celebratur euacuatio ſymptomatica, educens è vaſis promiſcuè purum, & impurum.*

Hæc eſt integra quidem reſponſio tua, nihil verò penitùs præfatæ rationi officit; Quandò enim natura criſim molitur per largas hæmorragias, id præſtat abſque vlla glandularum ſecretione

tione per vaſa narium, vel vteri, vel per mariſcas, ideòque non euacuat natura quid à ſanguine ſecretum, vt in alijs criſibus contingit, per ſudorem ſcilicet, vrinam, aliaſque huiuſmodi ſecretiones, ſed ipſummet ſanguinem, effundit, eiuſdem omninò rationis, eiuſdem omninò naturæ, ac ſanguis, qui in arterijs, & venis remanet; vel eiuſdem omninò naturæ, ac ſanguis venæ ſectione eductus. Cum tamèn eiuſmodi euacuationes plerumque ſint criticæ, quandò ſcilicet cum conferentia, & tolerantia fiunt, tametſi quandoquè ſymptomaticæ ſint, quandò vi cauſę alicuius morbificę potiùs, quam naturæ conatu ſequntur. Enìm verò, ſi tu ipſe, vberi ſermone tuo ſuperiùs relato, fateris ad ſeparandum ex ſanguine id, quod inutilè eſt, vel alienum, neceſſarias eſſe glandulas; vbi glandulæ ſunt in præfatis vaſis, è quibus natura ſanguinem vtilitèr effundit? Et vtilitèr quidem effundit ſanguinem natura, vt omnes medicinam facientes obſeruarunt, per hæc vaſa, quandò ipſa præualens morbo, hanc molitur euacuationem; Quandò enìm effunditur ſanguis inutilitèr, & ſymptomaticè, ab aliqua cauſa præter naturam id fit, non ab ipſa natura præualente. Vide igitur quam feſtinantèr, quam lubricè, & confi-

dentèr dixeris *per venæ sectionem* Medicum non imitari naturam rectè operantem, sed perperam agentem. At fortasse, quià Galeni doctrinam respuis, non considerasti, quod palam fiet inferiùs: missione sanguinis opportuna, non minùs, ac hemorragia naturali, naturam, quæ premebatur, leuari, motusque omnes liquidorum per canales suos reddi liberiores, adeòut, quod morbum faciebat, faciliùs præualente natura eliminetur.

Respondes secundò *Galenum cum suis pedissequis valdè decipi, dùm putant curationem aliquarum febrium à natura peragi per sanguinis hemorragias, quoniàm in sanguine foràs è vasis*
Pag. 185. *rubris effuso est commixtum, seù intrà positum fermentum febrile, idest succi acres, & maligni, qui vel è neruulis glandularum, vel ab arterijs intrà venas effunduntur fermentationis opè; Quarè dùm foras per anastomosim, seù venarum oscilla eijciuntur, simùl sanguis insons per dicta oscilla effunditur. Sanguis igitur* (inquis) *alteratus, idest pollutus non est causa immediata febris, sed fermentum illud febrile sanguine mixtum; Hic enìm non morbi causa, sed est natura, corporis balsamum, alimentum, si non proximum, saltèm remotum, animalis vita, &*

totius

totius corporis œconomus. Prætereà obseruas *synochas rarò per hemorragiã, sæpiùs per sudores terminari, ideſt degenere illo humore, seù fermento febrili educto, vndè sanguinis fermentatio violenta promouetur; Mox verò, repurgato sanguine per sudorem ab impuritatibus secretis, in consuetis corporum emunctorijs, seù glandulis Stenonis, reducitur æger cum fœlici successu sine virium dispendio pristinæ sanitati, quod non euenit patientibus per hemorragiam curatis, qui cum virium languore, & non rarò cum recidiua à febri fiunt inmunes, ob virium, seù sanguinis iacturam simul cum fermento febrili, è vasis rubris foràs effusi*.

Profectò cum multa hic dixeris, nihil omninò probaſti. In primis enìm, quando natura in febre continua homotona E. G. cum capitis dolore, ex diſtensione vasorum sanguinis suborto, curationem molitur per effusionem sanguinis è naribus, vbi erat tuum iſtud fermentum? Vbi acres succi, & maligni, quos optas è neruulis glandularum, vel ab arterijs intrà venas effundi fermentationis ope, ac poſtmodum exire foras cum sanguine, quem natura per hemorragiã effudit? Sed etsi liberalitèr tibi demus iſta gratis adſtructa fermenta; Qua necessitate fermenta,

 quæ

quæ ſanguini mixta per circuitum iam totam afflauerunt maſſam, ad narium vaſa, vel ad mariſcas properant, dum exit iſtinc ſanguis? Cauſam præfati morbi nos habemus conſpicuam, ſanguinem ſcilicet, vel rareſcentia, vel lentore vaſa diſtendentem capitis, doloreſque ibi producentem, ac vtrumque vitium à prohibita perſpiratione, cæteriſque cauſis non naturalibus fieri poſſe, notiſſimum eſt. Sed etſi demus tibi rareſcentiam illam ſanguinis, ab aliqua incongrua mixtione fluidi, quod fermentum appelles, dependere, vel ſi permittamus etiam quauis ratione lentorem ab huiuſmodi cauſa te deducere; Adhùc non alia vtilior euacuatio eſt hoc in caſu, quam hemorragia, non quià incongrua illa fermenta tua per vaſorum naſi, aut mariſcarum emiſſaria eijciat (hoc enìm, ob præfatam rationem, non niſi abſque neceſſitate, & abſque cauſa fingi poteſt puerilitèr) ſed quià ſimùl, & ſemèl hemorragia dolorem compeſcit, diſtenta vaſa deplens, ac in priſtinum perimetrum ſuum reducens, tùm motu ſanguinis naturali hanc ob cauſam concitato per directiones canalium, faciliorem perſpirationem promouet, cuius ope corpuſcula, ſeù halitus extranei, e corpore protrudantur, morbuſque omninò ſuperetur.

Replicas

Replicas hic ſanguinem effuſum eſſe *naturam*, corporis balſamum, alimentum, ſi non proximum, ſaltèm remotum, animalis vitam, & totius corporis æconomum; ſed hæc liberalitèr tibi concedimus, ea ratione, qua ſuperiùs diximus, ſi nimirùm intelligas ſanguinem ipſum in corpore ſuperſtitem, poſtquam hemorragia ritè peracta ipſum liberauit à vitio, quod contraxerat, & quo cæteroquin conſtituebatur potiùs cauſa morbi, & mortis, quam vitæ ipſius.

Circà obſeruationem tuam præfatam, certum eſt, vbi diſtenſiones vaſorum deſunt, vel aliæ neceſſitates, atquè etiam diſpoſitiones ægrotantium, non ſemper fieri criſim per hemorragiam, ſed faciliùs ſuo tempore in iſtis caſibus fieri criſes per conſuetas magìs euacuationes, vt ſudoris, vrinæ, &c. veruntamèn ſi etiam per hemorragiam natura criſim molitur, vbi ea, quæ neceſſaria ſunt, non deſunt, falsò aſſeruiſti *Galenum cum ſuis pediſſequis valdè decipi, dùm putant curationem aliquarum febrium à natura peragi per hemorragias*.

Quod verò ad reliqum ſermonem tuum, ſcias nos quoque medicinam facere, & obſeruare, criſes veras hemorragia peractas, nihil magìs relinquere debiles ægrotantes, quam alias *Pag. 186. in principio.*

criſes,

crises, nec ab illa magìs, quam ab istis alijs recidiuas euenire; Quìn imò repugnat omninò cum vera, & perfecta crisi recidiua, nam vera, & perfecta crisis omnem morbi causam tollit, ideòque Hippocrates inquit, *quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere opportet, neque nouare, neque medicamentis, neque alijs irritamentis, sed sinere* opportet.

Primo Aphoris. 20.

PVNCTVM TERTIVM.

SVmmã aliarum rationum, quibus Galenistæ innituntur pro sanguinis eductione, tertio tuo paragrapho simùl refers, ijsque singillatim respondes: nos ideò distinctè magìs primam ex allatis rationibus, tuasque responsiones hic expendemus, alias ex ordine inferiùs iudicaturi.

Venæ sectio, inquiunt, *refrigerat æstum febrilẽ*. Hìc verò multa dicis esse consideranda. Primò, curationem febris non per contraria esse instituendam, & affers Hippocratis contextum dicentis, manifestò errare, qui sibi ipsis *supposuerunt pro morbis, calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum &c.* itemque alium subdis eiusdem contextum; *non siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum homi*-

Pag. 186. & 87.

Lib. de vet. med. num. pri.

nem

nem lædere; sed amarum, & salsum, dulce, Nu. 24.
& accidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia copiamque, ac robur. Atque hæc quidem iuxtà, ac inter se temperata, nec esse conspicua, neque hominem lædere; Vbi verò quid horum secretum fuerit, & ipsum in se ipso fuerit tunc, & conspicuum esse, & hominem lædere.

Tùm asseris concludere Hippocratem non fieri curationem, neque à calidis, neque à frigidis, neque ab humidis, neque à siccis; at falsò quidem, si intelligas Hippocratem excludere semper curationem à calidis, aut à frigidis &c. In illo enìm vltimo contextu exemplum affert Hippocrates casus cuiusdam, pro cuius curatione, neque calidum, neque frigidum opportuna sunt remedia. Non valet autèm à particulari ad vniuersale illatio. Alij verò contextus Hippocratis palam quidem docent errare illos, *qui sibi ipsis supposuerunt calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, aut aliud quodcumque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium causæ tùm morborum, tùm mortis hominibus omnibus idem, vnum, aut duo proponentes.* Non verò ità perperam intelligendi sunt, vt tu fraudolentèr traducis,

quasi Hippocrates docuisset calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum numquàm esse causas tùm morborum, tùm mortis; Ad hoc enìm ostendendum satis fuit mihi addere verba præfata eiusdem Hippocratis, quę flagitiosè tacueras. Ex his enìm, quicumque leget, intelligere poterit, damnare Hippocratem illos, qui tantummodò vnum, aut alterum principium causarum in morbis assumunt; eademque ratione palàm docet in alijs allatis contextibus Hippocrates non solum siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum hominem lędere, sed alia etiam, quę expressit; Non autèm propterea illas causas excludit, vt quicumque, vel purus grammaticus, legendo percipiet.

Pag. Animosè tandèm concludis curationes non
187. fieri per contraria, contextum alium Hippocratis afferens, quod ne dùm nihil pro te comprobat, sed potiùs (vt alij superiùs allati) contrà te est: Inquit enìm Hippocrates à te citatus: *Ve-*
Nu. 30. *rum dixerit aliquis: qui ardenti febre febricitant, itemque peripneumonijs, & alijs fortibus morbis, non citò ex calore liberantur, neque adest hic frigidum, aduersùs calidum. At qui ego hoc maximum signum esse puto, quod non propter calidum simpliciter homines febricitent, neque*

hoc

hoc sit simpliciter afflictionis causa: *Sed est*, *&* *amarum*, *&c.* Reliqua Hippocratis verba, quæ integrum contextum componunt, quià contrà te faciunt, prudentèr omittis. Sequitur autèm Hippocratis oratio: *sed est amarum*, *& calidum idem*, *& calidum*, *ac acidum*, *& salsum*, *ac calidum*, *& alia infinita*; *& rursùs frigidum cum alijs facultatibus coniunctum*. *Hæc itaque sunt*, *quæ lædunt*; *si simul adest autem*, *& calidum robore participans*, *nimirùm ducens*, *&* *exacerbans*, *& augens simul cum illis*, *&c.* En igitur clara Hippocratis sententia, quæ non excludit, vt falsò dixeras, calidum, & frigidum à causis morborum, neque docuit vmquam hìc, aut alibi, quod intendis probare, curationes non fieri per contraria.

Affers etiam Petri Poterij aliquot verba in comprobationem tuæ sententiæ: *Medicus* (inquit ille) *qui dicit febrim esse calorem*, *& frigidum ipsi opponit*, *& eam non curat*, *ostendit clarè frigus non esse febri contrarium*: sed quorsum hæc? quis vmquam curationem febris aggreditur per solum aquæ frigidæ potum? Quis vmquam hoc generale axioma Medicum: *contrarijs contraria curantur*; angustè adeò intellexit, vt nudas qualitates contrarias pro curatione

morbi opponat? Nonnè, si causam morbi tollamus, morbum etiam per contraria curamus? contraria siquidem ipsi causæ est eiusdem ablatio, quomodocumque fiat, neque Medici, qui sunt artifices sensati logicis huiusmodi cauillationibus detinentur. Profectò, in hac tua prima responsione, miror te tantis verbis nihil dixisse; Alia fortasse responsio tua melior erit, ideòque ad eam transeamus.

Respondes secundò à sanguinis eductione æstum febrilem refrigerari. *Distingue*, *tamèn*, inquis, *duplicem refrigerationem*, *alteram Aristotelicam*, *id est qualitatem positiuam calori oppositam*; *Ambæ siquidem qualitates mutuo se expellunt ab eodem subiecto*, *cum in eodem genere plurimum distent*. *Alteram priuatiuam*, *quæ in spirituum calidorum deffectu consistit*, *&* *pro causa non agnoscit agens*, *frigidum*, *sed resolutionem factam à quacumque causa resoluente partes mixtum componentes*. Subdisque *exempli gratia vinum bifariam dicitur ab Aristotelicis frigidum*, *vel qualitatiuè*, *vel substantificè*; *Priori modo consideratur incorruptum*, *sed alteratum ab agente frigido*. *Secundò modo corruptum*, *&* *frigidum substantificè cum carentia videlicet spirituum*, *vt est acetum*, *quod est vinum corruptum*,

Pag. 188.

ruptum, ſpiritibus ſulphureis deſtitutum. Indè proſequeris. *Reſoluuntur ſpiritus, vel ſpontè, ideſt ab intrinſeco, vel occaſionalitèr à cauſis videlicet extrinſecis, vt eſt calor ambiens, vel alia cauſa mixti compagem deſtruens. Venæ ſectio refrigerat ſubſtantificè corpus, exhauriendo ſanguinem ſpiritibus fætum, qui eſt pars componens illud, & impertiendo calorem; Quarè venæ ſectio refrigerat ſubſtantificè, priuando corpus ſpiritibus vitalibus. Componitur animal tribus partibus, docente Hippocrate, continentibus, contentis, & impetum facientibus: febris, iuxtà Galeni ſententiam, eſt caloris exceſſus, cui opponitur frigiditas qualitatiua, non ſubſtantifica, iuxtà illud Galeniſtarum effatum, contraria contrarijs curantur. Frigiditas ſubſtantifica non opponitur calori extraneo febrim conſtituenti, ſed deſtruit vitam, ideſt ſanguinem ſpiritibus vitalibus impregnatum, vt obſeruamus in propè morituris, quorum corpus algidum eſt, ob ſanguinem corruptum, ideſt ſpirituum vitalium extinctionem à cauſis morbificis ſanguini inductam. Rursùm per ſectam venam non ſolum refrigeratur corpus, ob ſanguinis abſentiam, ſed etiam ſanguinis reſiduum ſpiritibus effæti; Nàm per vaſis foramen aduolat maior ſpirituum copia,*

 quam

quam ſanguinis, quia ad motum ſunt magìs expediti, vtpotè corpora ſanguine leuiora.

Hæc eſt integra tua reſponſio, in qua ſcholaſticis terminis te ſatìs inſtructum præbes; Refrigerium, quod affert ſanguinis miſſio, eſt certè illud, quod appellas priuatiuum. Sed ex hoc non tanta mala patitur æger, quanta reformidas. In primis enìm, fac ſanguinem in febribus, immoderata fermentatione, ſeù mauis, efferueſcentia turgere; ſuppone item, vt mauis, fermentum aliquod extraneum, quod ſanguini mixtum, huius efferueſcentiæ cauſa vltima ſit, (loquor enìm iuxtà tua principia, vt conuenientes vna ſimul, non ad verba digrediamur, ſed ad rem properemus) nonnè in hoc caſu luxuriat in ſanguine copia effluuiorum calidorum naturali maior? Nonnè iſta effluuia miſerum ægrum lędunt, actioneſque ipſius eneruant? Quod ſi ità eſt, vt negari omninò non poſſit; nonnè ſanguinis miſſio congrua, qua immoderatus æſtus defferueat, vndè grauitèr angebatur æger, magnam, opem, & præſentaneam affert? Dices hanc exuberantis caloris mitigationem fieri per diſſipationem ſpirituum calidorum; quid autem intelligis hoc nomine? omnia ne calida effluuia, vel potiùs materiam purorum ſpirituum, qui actio-

nibus

nibus animalis inseruiunt? si primum intelligas, rectè quidèm inquis, quippè cum in febre longè minùs, quam in statu sanitatis perspirent consueta illa effluuia calida, per cutis poros, vt Sanctorij experimentis constat, profectò si per sanguinis missionem dissipentur halitus isti, supplet hoc salubre remedium, perspirationis necessariæ deffectui; Et hac ratione refrigerium affert dissipando calidos halitus, qui cum in statu morbi extrà corpus non eliminentur, calorem in sanguine naturali maiorem producunt; Ac nil vetat hoc refrigerium appellare tecum tuo termino scholastico, *refrigerationem priuatiuam*. Si verò sanguinis missionē reformidas, eo quod refrigeret hauriendo spiritus vitales, & hoc nomine vires eneruando, gratis omninò id affirmas. Spiritus enìm sanguinis ità sunt reliquis particulis immixti, vt non tàm facilè dissipari possint, quinimò ex æquo singulis quibusdam sanguinis portionibus distributi sunt. Id docet profectò autopsia in destillatione chimica spirituum eiusdem sanguinis, non nisi magno labore illos proliciente; Ac ridendum est hoc tuum placitum, quo tàm audacter asseris extractionem aliquot vnciarum sanguinis, copiam purorum spirituum exhaurire. Scilicet in tanta sanguinis copia, quæ

abundat

abundat in arterijs, & venis post oportunam venæ sectionem, deerit materia spirituum actionibus omnibus necessaria! Sed hac de re primo capite falsitatem opinionis tuæ ostendimus. Lege insuper quæ Doctissimus, & numquam satìs laudatus Laurentius Bellini nuper edidit, de hoc tutissimo venæ sectionis remedio, & clarè percipies puerilem hanc esse formidinem. Demonstrat enìm ille satìs magnam extrahi posse venæ sectione sanguinis copiam, absque virium iactura, & experientia quoque id manifestissimum omnibus facit.

PVNCTVM QVARTVM.

COmmunis sententia eorum omnium, qui Galeni doctrinam sequntur, est, quod sanguinis missio *ventilet fuligines*; hanc tu quoque impugnare aggrediens.

Nemò anatomicorum, inquis, *sic perperàm* Pag. 189. *loqutus est in proponendo vsu partium animalis. Ordo analiticus anatomes docet, transpirationem, quæ est partium fugitiuarum, & volatilium eruptio, fieri à sanguine fermentescente, quo per innumeras glandulas subcutaneas circulante, fit separatio illarum partium fugitiuarum,*

quæ per vasa excretoria ad extimam epidermidis superficiem euebuntur. *Hoc artificio,* subdis, *natura separat à massa sanguinea excrementum serosum, idest sudorem, & excrementa volatilia, quæ vulgò dicuntur fuligines. Ex nuper exaratis liquet venæ sectionem non esse instrumentum separatorium fuliginum, sed eductionem spirituum regentium, sanguinis, & fuliginum promiscuam. Natura horret vulnus in corpore animalis; vt sibi noxium, intendit vacua spatiola, per quæ effluuia continentèr erumpunt. Deindè,* inquis, *probibita transpiratio curatur tubulos cutis reserando, qui vel ab humoribus glutinosis obstruebantur, vel eorum oscula, idest pori, à sicco, vt est alumen, sal esculentus, vitriolum, & alia, vel à frigido densante, claudebantur. Prima intentio absoluitur attenuando humorum glutinositatem per incidentia, & attenuantia. Secunda cutim laxando per humectantia. Tertia rarefaciendo corporis superficiem per calida: Venæ sectio nullam prædictis intentionibus præbet vtilitatem, sed solum vires ægrotantium prædatur. Nec officit Galenistas velle probibitam transpirationem interdùm à sanguinis copia proficisci cutis tubulos opprimente; Non enìm prætèr rationem est, si asseramus*

mus ſanguinis copiam naturam opprimentem esse ſomniatam, opinantes illam dari à veritatis ſcopo valdè deflectere, vt mox demonſtrabimus.

Quid autèm (vt hæc tua verba expendamus) *ordo analiticas anatomes docet?* Euincunt equidem contrà te ſtatica experiméta Sanctorij ægrotare hominem dùm ſupprimitur, vel imminuitur perſpiratio, quemadmodum Galenus pridem docuerat; Euincit recta ratio, ex rei neceſſitate deſumpta, fore vt, retenta in ſanguine effluuia, quæ alioquin perſpirare debuerant, impetum ſuum ſanguinis particulis infligant, ipſaſque proindè in motus inteſtinos, præter naturæ ordinem, ſeù in fermentationem, vt inquis, vrgeant; Nihil verò probat incerta tua ſuppoſitio, qua inquis tranſpirationem fieri à ſanguine fermenteſcente; Imò, ſi hoc verum eſſet, quando verè fermenteſcit ſanguis, vt in febribus, (nàm in ſtatu naturæ integro adhuc dubium eſt, an detur iſta fermentatio), procùl dubio non defficeret neceſſaria tranſpiratio; Cumque hæc ſummopere conducat ad bonam conſeruandam valetudinem, iuxtà laudati viri experimenta ſtatica, profectò febris, vtpotè tranſpirationem promouens, ex vi tuæ hyppotheſeos exoptanda potiùs,

quam

quam arcenda esset pro tuenda valetudine, quo quid insultiùs dici potest? Transpiratio effluuiorum, quæ à sanguine perpètim per corporis meatus exeunt, promouetur à libero, & veloci sanguinis circuitu per omnes arterias, & venas etiam minimas, & capillares, proùt naturalis exigit lex, hunc autem liberum, & velocem sanguinis motum per directiones cannalium, necesse est minui, si fermentescens iste alium motum intestinum conceperit, quo particulæ à recto tramite diuertant, ac per transuersas directiones turbulentèr moueantur, vasa maiuscula distendendo, tùm minimas arteriolas infarciendo, ac non raró inflammationes, decubitusque stagnantis sanguinis inducendo; præproperè igitur dixisti transpirationem, quæ liberum circuitum etiam per vasa minima exigit, à sanguine fermentescente fieri.

Sed quid ordo analiticus anatomes docet? An ne iste tuus ordo analiticus cõfundit transpirationem cum sudoris euacuatione, quæ per vasa excretoria glandularum ad cutim fit? Non alij fortasse meatus in corpore sunt, per quos effluuia spirent, quam excretorij ductus sudoris? Clariss. Nicolai Stenonis (quem olìm audiuisse glorior) diligentissimæ obseruationes do- *De solido intrà solidum.*

cent in corpore humano esse cauitates vbique ad efluuia excipienda idoneas ; & inter glandulas cutis, ad sudorem excernendum comparatas, necessariò meatus insensibiles quoque sunt, per quos efluuia ex sanguine exeant ; Per ipsas vasorum tunicas perspiratio etiam fit, adeò subtilè est quod in transpirationem abit ; Sed, vt falsitatem positionis tuæ per experimenta quoque percipias, obseruauimus non semèl in ijs, qui morboso sudore cronico laborant, perspirationem imminui, & omnes, qui medicinam faciunt, in hac præsertìm Ciuitate (vbi endemius iste morbus propemodum est) facilè id obseruare possunt ; Qui enìm huic morbo magìs obnoxij sunt, aut hypocondriaca affectione tentantur, aut hysterica, si fæminæ sint ; Obseruamus autèm omnes præfato morbo obnoxios benè propemodum habere, minùsq; vexari alijs symptomatibus, dùm sudant, itaùt viderim virginem, cui euacuationes menstruæ longo tempore suppressæ erant, sudorum huiusmodi beneficio liberam perstitisse à chlorosi, cum tamèn intereà tùm istà, tùm alij omnes sudoribus præfatis obnoxij, pondus quoddam corporis, & inertiam accusent, quæ signa sunt suppressæ perspirationis, vt Clariss. Sanctorius staticis experimentis docet.

Quod

Quod ſi ergò tantas nugas, falſaque commenta peculiari ſtudio congeſſiſti, non mirum ſi perperam concludis venæ ſectionem non eſſe inſtrumentum ſeparatorium, fuliginum, ſed eductionem ſpirituum regentium ſanguinis, & fuliginum promiſcuam.

Sanguinis miſſio velocitatem, ac libertatem motus per directiones vaſorum adauget, vt euidentiſſimè oſtendit Clariſs. Laurentius Bellini; ex hac autem libertate, atque velocitate circularis motus, & ex imminuta reſiſtentia pro ratione ſanguinis educti, neceſſariò promouetur tranſpiratio, vt re ipſa manifeſtum eſt, tùm quià viæ omnes magìs expeditæ, magiſq; patentes fiunt, tùm quià motus celerior ſanguinis maiore impetu, quod per poros eliciendum eſt, neceſſariò protrudit. Quod verò, inquis, venæ ſectionem eſſe eductionem ſpirituum regentium ſanguinis, iàm ſuperiùs puerilem eſſe formidinem oſtendimus.

Alia quæ ad prohibitam tranſpirationem curandam proponis remedia, non improbamus quidem, ſed longè minùs efficacia ſunt, quàm ſanguinis miſſio, ideòque hanc falsò reijcis ab iſto remedij genere, vano illo timore, ſuperiùs à nobis excuſſo, perterritus, quo pronuncias *ſo-*

lum vires ægrotantium prædari.

Sed & falsò negas prohibitam transſpirationem interdùm à ſanguinis copia opprimente proficiſci, cumque hanc ſanguinis copiam opprimentem vires te demonſtraturum pollicearis falſum eſſe, nos inferiùs tuas, quas promittis, demonſtrationes audiemus, & ſi fortaſſe non adeò dociles erimus, vt demonſtrationibus tuis aſſenſum noſtrum præbere poſſimus, rationes ſaltèm, quæ in contrarium occurrent, adducemus.

PVNCTVM QVINTVM.

ALia ſubeſt pro miſſione ſanguinis ratio, quià ſcilicèt, vt refers, plenitudinem particularem demolitur, huic verò propoſitioni tua modo contradictio in promptu non eſt; Inquis enìm, *Quid ego ſentiam referre adnitar,* dùm de deriuatione verba faciam. Nos igitur, quidquid ſenties, tùnc liberè, more noſtro, expendemus. Intereà palàm eſt ex ſanguinis miſſione vaſa neceſſariò exinaniri ea proportione, qua ſanguis mittitur, ideòque manifeſtum eſt minui reſiſtentiam, quæ obſtabat quo minùs vaſa, quantum opus erat, contraherentur, vr-

gerentque prorsùm, quod alicubi hærebat, ac plenitudinem particularem constituebat; Hinc vides necessariò inferri: quod educto sanguine facilior sequatur vasorum contractio, ac, per consequens, stagnantis alicubi sanguinis pulsio per directiones canalium, qua plenitudo illius partis necessariò cesset.

PVNCTVM SEXTVM.

SAnguinis missio motum sanguinis irregularem corrigit; Tu verò hanc propositionem impugnans, duplicem sanguinis motum adnotas; Vnum alterationis, idest fermentationis, alterum progressiuum, atque primum quidem bifariam diuidis, quatenùs nimirum, vt inquis, *vel sanguis plus æquo gliscit in sua fermentatione, vel minùs fermentescit*; Tùm statim subdis, *vtrumque vitium nequit corrigere venæ sectio, vt liquet &c.*, quamuis autèm nihil omninò attuleris, quod comprobare possit propositionem tuam, vt legenti patet, nihilominùs verba tua vtcumque allata expendenda sunt.

Et primò supponamus sanguinem plus æquo fermentescere propria, vt inquis, affectione, idest,

propter

propter particulas ſanguinis elementares exaltatas; in hoc caſu ſcire te, inquis, curationem eſſe dirigendam per præſidia glutinoſa; ideſt ramoſa, aggregantia illas particulas diſſociatas. Quæ verò ſunt iſta præſidia, vel quid virium habent ad ſanguinem mixtioni ſuæ naturali reddendum, quando motus ipſius, plus æquo fermenteſcentis in febre acuta, non dat inducias? Hoc profectò, ad conciliandam fidem profeſſioni tuę, ignaro vulgo venditare potes, nos verò, qui longo tempore præſidia huiuſmodi, quæ appellas *glutinoſa, & ramoſa aggregantia particulas diſſociatas*, experti ſumus, ingenuè fatemur ne dùm comparari non poſſe cum ſanguinis miſſione, ſed irrita plerumque eſſe in febribus præſertìm acutis, vbi non tantas morbus præbet inducias, vt, quod optamus, efficere valeant in ſanguine. Contrà verò ſanguinis miſſio efficacitèr ſanguinis craſim reſtituit, *partim euacuando, partim miſcendo, & reddendo inconſpicuum*, id, quod motus turbulentos in ſanguine valet excitare; Oſtendimus enìm ſuperiùs miſſione ſanguinis perſpirationem promoueri, qua particulæ illæ, quas exaltatas appellas, è corpore eliminentur. Oſtendimus etiam miſſione ſanguinis motum eiuſdem per directiones canalium augeri, quo

sanguinis naturalem crasim restitui notissimum est.

Secundò ponamus, vt inquis, sanguinem plus æquo fermentescere proptèr aliquod extraneum fermentum, suppeditatum ab aliquo fomite particulari, *ad quem fomitem, vt subdis*, pertinet partium inflammatio; certum est fermenta huiusmodi (si quidèm non extrinsecùs adueniant, sed in corpore generentur) e sanguinis penu proficisci; Omnis enìm separatio cuiuslibet laticis, à sanguine tandem per glandulas fit. Quod si ergò iugis, & perennis generatio, siue separatio extranei istius fermenti ex sanguine vitiato fit, missio autem sanguinis vitio eiusdem promptissimè, atque efficacitèr occurrit, ob rationes superiùs allatas; & materiam, quæ in fermenta huiusmodi abitura erat, partim per diapneustiam promotam, partim per alias euacuationes eliminare valet, manifestum est, etiam in hisce casibus, sanguinis missionem opportunum esse remedium. Nec dicas dari *apud Chimiatros medicamenta, quæ massam sanguineam corrigant, ipsamq; pristinæ texturæ restituant*, nam, vt diximus, vbi morbus non dat inducias, non tantam videmus ab huiusmodi remedijs efficaciam, quæ morbo superando par esse possit.

Sed adhùc comprobare niteris venæ ſectionem corrigere non poſſe *motum ſanguinis progreſſiuum, ſeù circularem, cum hic dependeat à ſua naturali craſi, quæ, ſi vitiatur, emendatur tùm per præſidia dulcificantia, vt ſunt obtundentia, vel refermentantia, tùm per medicamina depurantia tollendo à ſanguine vitium; venæ autèm ſectio (ſubdis) non curat, ſed vitium, & vitiatum, ideſt vtilè, & inutilè è corpore educit; quod eſt contrà naturæ leges, quæ morbos curat;* vt docet Galenus, ſegregando inutile, ab vtili. Rem inſuper illuſtras vberiori paraphraſi inquiens. *Natura primò concoquit, ſecundò ſegregat, tertiò expellit. Per venæ ſectionem promiſcuè euacuantur humores, tùm vtiles, tùm inutiles. Criſes, quæ fiunt cruda exiſtente materia, non ſunt ſalutares, ſed noxiæ, quià non eſt ſecretum vtile, ab inutili. Hemorragia eſt criſeos ſpecies, quæ fieri debet cocta materia. In principijs morborum eſt ſymptomatica, quià materia cruda, ideſt non ſegregata ab vtili: igitur venæ ſectio, quæ promiſcuè humores euacuat, non eſt celebranda, quia ſymptomatica, ſeù noxia eſt. Neque cocta exiſtente materia iuuat venæ ſectio, quia neſcit Medicus venam, ad quam natura depoſuit fermentum febrile ſecretum à*

reliquo ſanguine, vt, cum ſanguine polluto in prædicta vena exiſtente per phlebotomiam eijciatur. Facilè erit fermentum febrile cum ſanguine, vel per arterias, vel per neruos, in conglomeratas glandulas deponi, ibique ſegregari, & foras è corpore detrudi.

Verùm, pace tua dixerim, tua hæc ingenioſa locutio nihil penitùs roboris habet, imò ex ſuperiùs dictis fallax eſſe deprehenditur, inefficacia enim ſunt, vbi morbus non dat inducias, tua iſta præſidia dulcificantia, obtundentia &c. vt nuper diximus; venæ autèm ſectio, portionem ſanguinis euacuans, aucta diapneuſtia, per ipſam expellit quod totum ipſum inficiebat, tùm aucta celeritate motus per directiones canalium, ſegregationes per glandulas promouet, vt iam inculcauimus, & per conſequens naturæ concoquenti, ſegreganti, atque expellenti (vt idem ipſe Galenus docet) opitulatur; Neque timenda eſt euacuatio, puta vnius libræ ſanguinis, eo quod promiſcuè, vt inquis, exeat vtile cum inutili, multò enim maior vtilitas eſt, quam exindè haberi iam oſtendimus, & nihil damni vmquam emergit, vt ſuperiùs euicimus, euacuatione illa, tàm exiguam proportionem habente ad ſanguinis copiam, quæ in vaſis remanet, vitæ vſibus,

& functionibus omnibus nedùm sufficiens, sed superabundans; quæque perpetim per alimenta generatur.

Neque in principijs morborum omittenda est venæ sectio, tametsi nondùm crisis tùm expectanda sit; Ex dictis enìm patet ad futuram crisim liquida nostri corporis disponi, imò numquam procrastinanda est venæ sectio vsque ad materiæ coctionem, sed ex præscripto magni Hippocratis in principijs morborum est celebranda.

Pag. 191. Tandèm, vbi minùs æquo sanguis fermentescit, venæ sectione torpidam eiusdem crasim non perfici asseris, sed in hisce casibus *antacida*, vt inquis, tùm fixa, tùm volatilia laudas, & parari *talia iuuamina arte Chimica*, inquis, *quæ in minima mole hoc præstent*, nos verò tametsi in hisce casibus, vbi re vera morbus dat inducias, remedia huiusmodi Chimica non improbemus, imò nec semper venæ sectionem, vbi sanguis minùs æquo incalescit, laudemus, efficacitèr tamèn quandoque opitulari venæ sectionem, iuxtà Galeni monita, experti sumus, quamuis torpidus ille sit in sua crasi, & (vt vocabulo tuo vtar) minùs fermentescat, idque semper experti sumus fælicitèr, quotiescumque torpida sanguinis

guinis crasis à suppressa euacuatione menstrua in Virginibus, vel hemoroidali in viris ortum duxit. Ratio autèm in promptu est, quià libertatem circularis motus venæ sectio præstat imminuta resistentia, vt identidem inculcauimus, Motu autèm liberiore sanguinis crasim torpidã corrigi necessè est, atque particulas actiuas, quæ obrutę delitescebant, excitari.

Sed inquis: *Venæ sectio ex Galeno sanguinem refrigerat, illumque torpidum reddit. Primò quia spiritus vitales, caloris causa, e corpore remouentur. Secundò quia minuitur agentis calidi, idest sanguinis moles, quam comitatur minor calefaciendi energia.*

Profectò Galeni doctrinam immeritò traducis, neque necessitates motuum, à venę sectione pendentes, altè consideras. Refrigerat sanguinis missio, vt superiùs diximus, non quia spiritus vitales, vt pręter rem times, è corpore remoueantur, sed quatenùs, aucto motu per directiones vasorum, perspirationem adauget, qua effluuia calida, è corpore eliminantur, vndè priùs sanguis plùs ęquo incalescebat. Refrigerat etiam, quia minuitur sanguinis moles, malè autèm exindè putas torpidum sanguinem reddi per venę sectionem; Quomodò enìm torpidus

reddi poteſt ſanguis hoc eodem pręſidio, quo in motum liberiorem agitur? Si medicinam feciſſes tot ſeculorum experimentis innixus magis, quam opinioni proprię (crede mihi) didiciſſes, hoc idem auxilium, quo nimia ſanguinis incaleſcentia compeſcitur, motum irregularem, atque plùs ęquo tardum mirificè reſtitui.

PVNCTVM SEPTIMVM.

VEnę ſectione *interiora pleraque mitigantur, ac deferueſcunt.*

Tu verò paucis contrà morem tuum verbis hanc doctrinam traducis, potius quam impugnes. Inquis enìm, *æquidem non ignoro in prope diem morituris, omnia interiora, & exteriora mitigari, ac deferueſcere, itemque frigida fieri.* Nos verò iure merito tua hæc verba ridemus, cum ſatìs ſuperque ex dictis ſuperiùs conſtet, venæ ſectionem refrigerium inducere, abſque vllo periculo, & pudore dignam eſſe iſtam in vena ſecanda hyppocondriacam formidinem.

PVNCTVM OCTAVVM.

H*OC eodem remedio hemorragiæ ipſæ ſiſtuntur.*

Contra hanc tot sæculorum experientiam, peculiarem obijcis casum à Vvillisio obseruatum, in quo vnica venæ sectio non potuit hemorragiam sistere, potuisset fortasse repetita, donec sanguinis copiæ minuendæ, atque æstui eiusdem compescendo par fuisset remedium. Deindè complures obseruationes, tùm antiquorum, tùm etiam tuas in medium afferre te posse subdis, ad illustrandam *terrapeiam sanguinem sistendi, cum successu fælicissimo, absque venæ sectione*. Sed hascè tuas, & aliorum obseruationes omittens contrà Vvillisij doctrinam verba facere aggrederis.

Cap.21. de febr.

Pag. 192.

Profectò instituti nostri ratio non patitur, omnia dicta, aut Vvillisij, aut aliorum minutim aduertere, nec opus est Clariss. Viri doctrinam à multiloquio tuo deffendere; fateor enìm me nihil ex tanta huius tui paragraphi lectione percepisse, quæ tantillum Vvillisij doctrinam offendat, quamuis te sæpiùs Vvillisij libros percurrisse asseras, & valdè parum inuenisse, quod menti tuæ veritatis auidæ satisfacere posset.

Hemorragiæ, atque hemopthiseos præsertìm duas Vvillisius assignat causas, videlicèt, aut ipsius sanguinis discrasiam, aut malam vasorum conformationem; Ad primam refert sanguinem

plùs

plùs iuxtò tenuem, ſimulq; acrem, qui arteriolarum oſcula reſerat, aut exedit, tùm etiam craſſiorem ſanguinem coagulationi obnoxium, qui, cum à venis ſatìs promptè excipi nequeat, extrauaſatur; Ad ſecundam refert gracilitatem vaſorum, vel nimis laxam, & humidam eorum indolem.

Tu verò vtraſque cauſas venæ ſectionem excludere dicis, ſed nullatenus probas. Inquis enìm, *ſanguinis vitium eſt, ſi acidus, ſalſus, fluidus, tenuis, & ſeroſus pluſquam decet, euaſerit. Quandòquè glutinoſior, & craſſior à venis, vt par eſt, excipi nequit in reditu ad hepar, & cor.* Tùm ſubdis, ſanguinis acrimoniam corrigi, vel obtundentibus, vel refermentantibus, fluiditatem incraſſantibus curari, glutinem, attenuantibus, & incidentibus, cumque ſanguinem è vaſis proſilire dicas, (vt communis fere ſententia) anaſtomoſi, diapedeſi, diæreſi, rixi, & diabroſi (quamuis anaſtomoſim cum Doctiſs. Laurentio Bellino negem, vtpotè quia continuę inter ſe ſunt venæ, & arteriæ) diapidiſim, ſeù tranſudationem curari ſubdis per aſtringentia, & corrigentia nimiam ſanguinis ſeroſitatem, vaſorumque diuiſionem, ſciſſionem, & eroſionem indicare conſolidantia. Poſtmodùm ſtatìm, ne-

Pag. 193.

ſcio

ſcio qua confidentia, ità concludis. *Ex his comperiat quiſquis, neque ſanguinis diſcraſiam, ſeù vitium, neque vaſorum malam conformationem per phlebotomiam curari.* Pag. 195.

Anaſtomoſeos deindè triplicem cauſam aſſignas, venarum laxitatem, ſanguinis *trombum*, vt inquis, ſeù concretionem, & ſpaſmodicam affectionem, quibus impediri aſſeris, quo minùs ſanguis ab arterijs in venas liberè traijciatur, atq; ſpretis Vvillisij, omniumque medentium rationibus, medelam hemopthiſeos eò collimare inquis, primò *vt venarum laxitas per aſtringentia tollatur, ſecundò, vt ſanguis à trombo per antacida vindicetur*; *Tertiò, vt ſpaſmodica affectio per ſua ſpecifica ritè curetur.*

Quomodò autèm probare vmquam poteris *venæ ſectionem numquam in hemorragijs valere*, vt confidentèr inquis? Nonnè ſanguinis copia venæ ſectione minuitur? Nonnè, imminuta copia, vaſa, quæ priùs diſtenta fuerant à rareſcente, vel etiam à ſubſiſtente concreto ſanguine, maiorem ſe ſe contrahendi vim aquirunt? Nonnè vaſa, dùm validius contrahuntur, ſanguinem, cæteroquin tranſuerſo motu erupturum è vaſis, per directiones canalium in gyrum ſuum naturalem validiùs promouent? Nullam

profecto

profectò video, inter tot verba, quæ contra Vvillisium habes, ratiunculam, quę hisce necessitatibus, à sanguinis missione pendentibus, vllatenus refragetur: Quod verò venę sectio pręterea sanguinis ęstum compescat, vndè etiam Hemopthisis, & hemorragię pendent, iam superiùs ostendimus; quodque insuper hęc omnia beneficia conueniant vbi vasorum laxitas, aut gracilitas adest, ac pręsto sint, ne faciliùs erumpat sanguis, (non spretis alijs auxilijs, quę vasa firmare possunt), satìs superquè ex dictis constat. Tu autèm contentiosè nimis Vvillisij verba diudicas; frictiones in hisce casibus, & ligaturas pręsertim reprobare aggrederis fusa nimis oratione, cum verò de hisce instituti ratio, & breuitas agere non patiatur, & iam celeberrimus Laurentius Bellini, solida quidem doctrina, & altissimis rationibus, earum vsum comprobarit, piget verba tua, vt vt ingeniosa, in hisce casibus audire.

PVNCTVM NONVM.

Pag. 199. *PHlebotomia putridi, & praui minuuntur humores, vt residuum cedat faciliùs medicamini*. Huic veterum doctrinę tu more tuo con-

contradicis, ne quidquam tamen solidi affers in longa contradictione tua. Vnica ratiuncula, quam affers, est ea, quam in prima responsione refers ex eruditissimo Portio, quia scilicet, per detractionem sanguinis, aufertur plus boni, quam vitiosi; Hanc verò rationem laudatus Portius non attulisset, si necessitates omnes à venę sectione pendentes penitiùs aduertisset, eędemque si tibi notę fuissent, illius doctrinam non transcripsisses. Non enìm sanguinem mittimus in hunc tantummodò finem, vt euacuemus, sed vt, imminuta resistentia, faciliùs per canales suos moueatur tota massa, debitamque fluxilitatem adpiscatur, atque exindè secretiones recrementorum sanguinis, faciliùs in hisce, vel illis glandulis fiant. Quin imò in hunc etiam finem mittimus sanguinem, vt, ne dum euacuetur quod vitiosum est vna cum laudabili succo in peluim educto, sed vt exindè faciliùs diapneustia promoueatur, per quam vberiùs materia morbifica extrà corpus perspiret. Quod cum iam superiùs à venę sectione pręstari ostenderimus, nil est, quod hic addendum sit, sed hac sola animaduersione corruit quidquid vanę speciei ostentauerat allata ratiuncula.

Secunda responsio tua longa quidem est, &

eruditis verbis affluens, nihil tamèn ad propositum nostrum facit. Vagaris enìm, & omninò è puncto disputationis digrederis, contendendo *putredinis introductionem in febribus falsissimam*
Pag. 199. *esse, nam intricatæ putredinis deffinitiones sunt prognatæ*, vt inquis, *quarum nulla rem superficie tenùs tangit*. Impugnas Aristotelis, & Gal: deffinitiones, non admodùm tamèn altè rem attingis; Capiuacei, Hoffmanni, Sennerti, aliorumque opiniones de putredine more tuo iudicas, cum verò nec eę omnes opiniones, nec Recentiorum sententię, quas affers in causis febrium assignandis, quicquam omninò immutent pręfatam Thesim, non est cur in illis immoremur. Sit quęcumque tibi placet causa febris ex vitio sanguinis oriunda, ex ijs quę attulisti, semper verum est dicere, quòd, educto sanguine, faciliùs è corpore eliminetur vitiosus latex ob pręfatas necessitates, vel scilicet per Diapneustiam, vel per faciliorem, secta vena, sequuturam morbosi liquidi per glãdulas secretionem.

Pro coronide; nullus erat locus commiserationi tuę, quam hisce verbis exprimis. *Hinc vides*, inquiens, *quam miserè hallucinetur Medicorum vulgus venæ sectionem pro minorandis putri-*

putridis humoribus commendans, qui febrium putridarum causa ab ijs existimantur; ignoscendi tamen, cum febris causam ignorent. Nullus inquam locus erat isti commiserationi tuæ, nihil enim attulisti, quod mundi ignorantiam tollat, totque effusa tenebris illustret, ingenia, quę in Europæ academijs morborum causas inquirunt; Frustrà ignoscis illis, cum nil aliud præstes, quam duplicatum laborem legendi inter verba tua, quæ ab alijs iam scripta fuerunt.

PVNCTVM DECIMVM.

EXcretiones antequam sub cutim erumpant, non respuunt venæ aperturam, nulla enim à circumferentia ad centrum reductio sanguinis est, sicut nec ad circumferentiam à centro.

Contra verò asseris respuere venæ aperturam: audiamus igitur rationes tuas, ac tecum in primis supponamus non dari peculiarem quandam virtutem expultricem, *quæ excrementa, scabiem, & eflorescentias ad cutim eliminet, sed,* vt mauis, sanguinis fermentationem (inutiles controuersias euitaturis) liceat nunc admittere, *ob quam particulæ heterogeneæ, ipsique naturæ aduersantes à massa sanguinea segregantur; Vndè in* Pag. 208.

 san-

ſanguinis circulo tranſeuntis per glandulas innumeras ſubcutaneas, à fermenteſcente ſanguine exutæ, per vaſa eorundem excretoria, ſeù per tubulos cutis foras erumpunt, & ſuperficiei epidermidis adhærentes, concreſcunt. His poſitis, quid infers? Terapeiæ methodum hoc ritu inſtituis. *Indicationes*, inquis, *genuinę in eo verſari debent, vt ſanguinis fermentatio intrà modum naturæ congruentem manuteneatur, ea nimirum ratione, vt neque hinc plùs æquo fermenteſcat, & particulæ volatiles agglomeratæ fiant fortiores, & ſe à particulis craſſioribus diſſocient, vndè ſanguis prædictis ſpiritibus effætus putreſcat, neque illinc nimis torpeat, vt materiæ etherogeneæ, & naturæ repugnantis protruſio impediatur, vel ſanguinis conatus adeò labefactetur, vt nouum ſtatum aquirere nequeat, veteres nimirum particulas exaltando, & nouas ſubigendo, vndè ſanguinis particulæ in ordinem alium tranſpoſitæ nouam præbeant ſpeciem.* Tùm ſubdis. *Fermentatio effera pacatur, ſuffocatis viribus fermentationem efficientibus, quæ in dilutione particularum energeticarum conſiſtit; Vt, quæ agglomeratæ, ſeù vnitæ efficaciores erant, in amplum diffuſæ remittantur, & temperentur. Temperari res dicitur, vt docet Gaſſendus, non quod*

aliquid

aliquid ipsius depereat, sed quod eius vigor, qui in vnione particularum confertissimarum consistit, ità diuidatur, atque dispergatur ob particulas sui segregatas, interceptasque contrarias, vt disgregatus vehemens sentiri perindè, ac vnitus non possit, exindeque est, vt, si dispersæ particulæ recolligi, ac iterum coadunari valeant, idem vigor sentiri non possit. Pacatur secundò effera fermentatio, ligando particulas fugitiuas, illas obtundendo, vel acidis præcipitando particulas sulphureas, vel lixiuiales volatiles in motum satìs celerem concitatas. Statìm tandèm post hæc copiosa verba concludis: *Quorsùm venæ sectio?*

Ego verò miror te non aduertisse ex instituta tua methodo magìs prodesse in hisce casibus missionem sanguinis, quã tua illa imaginata remedia, ad sanguinis fermentationem efferam compescendam. Miror, inquam, te non aduertisse missione sanguinis immanem eiusdem æstum deferuescere, ac proindè hoc remedio pacari magìs, & promptiùs efferam fermentationem, quam *dilutione* particularum *energeticarum*, aut somniato illo tuo vinculo particularum fugitiuarum, aut etiam acidis præcipitantibus, quæ omnia sensati viri satìs norunt parum vir-

tutis habere, nec re vera, vt imaginaris, ſcopum artificis promptè attingere. Benè inquiunt Galeniſtæ venæ ſectionem refrigerare ſanguinis ęſtum, &, vt falsò ſuperiùs te impugnaſſe confidis hanc doctrinam, ità ex ijs, quę contra te ibidem oppoſuimus, manifeſtú eſt te nihil aliud in confutanda venę ſectione, quam inutilia verba feciſſe; Qua de cauſa viſum eſt tua omninò pręfata verba tranſcribere, vt ęquus Lector iudicet quid roboris habeant.

Neque, ex eo, quod Vvilliſius aſſerat, ex parca ſanguinis extractione ſanguinem efferueſcere, ſeù ſtatìm à phlebotomia homines incaleſcere, inferre licet Galenum, & Vvilliſium pugnantia ad inuicem comminiſci; poteſt enìm homo ſtatìm à phlebotomia parca manu inſtituta incaleſcere, atque poſteà æſtus ſanguinis refrigerari, multòque magìs, ſi tantum ſanguinis euacuetur, quantum opus eſt.

Tandèm duas refers hyſtorias, quas Portius fol. mihi 316. adnotat; duorum ſcilicet ægrotantium Vvilliſij, quibus, detracto ſanguine, Variolæ eruperunt, (quamuis vni non niſi vigeſima die) veruntamèn conualuerunt illi, & ſi grauia priùs perpeſſi ſymptomata; Neſcio verò quid, ex hiſce hiſtorijs, inferre contra ſangui-

nis missionem possis; & si enìm eorum alteri tardè variolæ eruperint, quotidiana experientia docet in omnibus, quibus sanguis mittitur, citò erumpere variolas, & fælicissimè sanari; Alia igitur de causa in peculiari casu allato tardè variolas erupisse, sanæ mentis quilibet facilè iudicabit, atque alia de causa symptomatum sæuitiem processisse.

PVNCTVM XI.

R*Euelluntur missione sanguinis, seù auertuntur influentium humorum incursus ad partem.* Pag. 209. & 210.

Reuulsionem imposturam apellas, idque te palam facturum dicis, eo quod *reuulsio sanguinis, & eiusdem circulatio* simul intelligi non possint. Atque hæc vnica ratio est, cui inniteris, nam multa alia verba Helmontij, quæ refers, in hoc idem argumentum coincidunt, quamuis ille circuitum sanguinis non agnouerit. Inquit enìm (& in hoc tota illius ratio consistit) *licet vena cubiti tota posset euacuari, tamen mox iterùm totus cruor æquaretur per totum venarum contextum.*

Non adeò tamèn acritèr Galenus incusandus

est, neq; eius doctrina præcipitantèr adeò explodenda, vt more tuo facis; quamuis enim ille circuitum sanguinis non agnouerit, atque iuxta suam hypothesim sit loqutus, iure merito tamèn laudandus est potiùs cum ea protulerit, quæ nouæ hypothesi optimè congruant. Quamobrem rectè Higmorus à te etiam citatus animaduertit reuulsionem, quæ venæ sectione fit, motum sanguinis circularem nullo modo violare. *In venæ sectione* (ait Vir Clar.) *quantò maior sanguinis quantitas à vena incisa fluit, tantò celeriùs, maiorique copia per arteriam, cui per anastomosim vena coniungitur, à corde ad inflictum vulnus excurrit, quià illic patentiorem viam, & vasa magìs inanita inuenit; vndè sine sanguinis præcedentis renixu illùc celerrimè protruditur; Cùm autèm alicui parti plùs iuxto, quam soleret, recurrat, sanguinis minor copia in corde, & aorta relinquitur, minùsque sanguinis cæteris partibus distribuitur; secundum enìm quantitatem singulis dispensatur, ex magna multum, ex parua minùs conceditur.* Deriuationem etiam idem auctor, salua circulatione, optimè explicat, inquiens: *Præmissa reuulsione, fonte, ac arterijs inanitis, opportunè consequitur deriuatio, quæ aperta vena in eodem latere, arte-*

rias

rias parti affectæ vicinas promptè lacunat; atque sic sanguinem per arteriam axillarem deriuat, qui in arterias intercostales eiusdem lateris concitatiùs propellendus fuerat.

Tu in opinione, quam prematurè inisti, persistens, primò, inquis, non distingui ab Auctore præfato reuulsionem à deriuatione, quia distantia maior, & minor rei specificam, vt ais, differentiam, non infert. Sed quorsum hæc? satis est illud inter deriuationem, & reuulsionem discrimen, quod in maiori, vel minori distantia consistat.

Secundò, inquis, ex hoc placito deduci posse, deriuationem esse meliùs subsidium reuulsione; infæliciter tamèn hallucinaris, eo quod salubrem Græcorum, & Galeni præsertìm methodum spernas. Ponamus enìm distentam esse, vel inflammatam à rarescente, vel à subsistente sanguine particulam aliquam, cuius vasa distenta sanguinem excipiant à trunco aortæ ascendentis, quis non videt meliùs esse, iuxta veterum præscriptam methodum, sanguinis missionem inchoare ab aliqua vena, cuius contigua arteria sanguinem hauriat à trunco aortæ descendentis? Nàm, si tempore, quo mittitur sanguis, fluens ille per emissarium in aera parùm, vel nihil repu-

gnantem, minùs resistit succedenti sanguini, quàm si miteretur in sanguinem præcedentem, nondum facto emissario, vt luculentèr ostendit Clariss. Laurentius Bellini, manifestum est, velociùs motum iri emissarium versùs, sanguinem nedùm per summas arterias sectæ illi venæ continuas, sed per earundem ramos maiusculos, maiores, ac demum truncum descendentem ad vsque cor. Cumque singulis contractionibus cordis, eo tempore, quo sanguis non mittitur, ęqualis portio ad vtrumque truncum protrudatur, propter æqualem velocitatem sanguinis, manifestum est etiam, secta vena illa, ob maiorem velocitatem sanguinis per truncum descendentem fluentis, maiorem quantitatem, dato tempore, protrudendam fore ad eundem truncum descendentem; manifestum est igitur, eo dato tempore, vasa illa distenta inflammatę particulę, ob imminutam resistentiam ex detracta illa quantitate, faciliùs contrahenda fore, sanguinem validiùs per circuitus semitas protrusura; Quod profectò non tàm facilè contingeret, si, contrà præfatam veterum methodum, venæ sectio à parte proximiore fieret, vt ex dictis manifestissimum est; lege attentè, quę Doctissimus Vir nuper citatus, rem in suis necessitatibus altissimè

tissimè penetrans, de reuulsione, ac deriuatione protulit, & erroneam opinionem tuam (nisi obstet pertinacia) profectò mutabis.

Tandèm seuerè Higmorum iudicas, & subitò, more tuo, pronuncias *in hoc egregiè falli, quia iudicat inflammationes ab influxu solito copiosiore produci, & vbi secundum hoc præiudicium putauit reuulsionem suam ideò iuuare, quod influxum istum probiberet, tùnc planè errasse; Nàm obstructiones (inquis) in causa sunt, vt humores coaceruentur, in tumorē eleuentur, acescant, & inflammationem pariant. Quarè (subdis) illa medicamenta prosunt, quæ obstructiones tollant, & acidum reconcentrent.* Pag. 211. Adducis insuper, in confirmationem tuæ sententiæ, DiemembrocKij consimilem opinionem, & plethoram vitiosam negas, qua de re inferiùs disseremus.

Intereà, vt videas quam iniquè laudatum virum iudices, libet admittere obstructiones in causa esse, vt humores coaceruentur, in tumorem eleuentur, acescant, & inflammationem pariant, (tametsi non hanc solum causam inflammationum ponamus) quid indè inferre vales? Nonnè missio sanguinis, imminuta resistentia, velocitatem circularis motus adauget? Nonnè

velocior motus sanguinis validiùs abripere potest, & in motum vrgere, quod in angustijs vasorum hæret, obstructiones faciens: Profectò si leges motus attentè consideres, hoc facilè percipies; Quod si venæ sectione in motum rapitur efficacissimè, id quod obstructionem facit, vbi sunt ista tua decantata remedia, quæ huic magno prȩsidio comparari possint, quæ nimirum, vt inquis, obstructionem tollant, tàm citò, tutò, atque efficacitèr, vt præceps poscit occasio? lege iterum attentè, quæ hac de re scripsit Doctissimus Bellini nuper citatus.

PVNCTVM XII.

Pag. 212. *FLuxi humores deriuantur, seù euacuantur per vias, ad quas inclinant; sic in inflammatione emitti sanguinem clamant.*

In primis tu contra hanc veterum doctrinam reclamas, eo quod *supponunt Galenistæ tumorem fieri per fluxum, nec vident,* inquis, *fluxum esse naturalem, cum sanguis fluat per arterias, refluat per venas. Omnis tumor* (subdis) *fit per congestionem; hoc est quando sanguis, ac humorum fluxus aliqua ex parte impeditur propter obstructionem, ob quam massa sanguinea alicubi*

conge-

congeratur. Igitur (concludis) *humorum fluxus est effectus tumoris, qui pro causa agnoscit obstructionem, quæ fundentibus, & non euacuantibus liquidum, vt est venæ sectio, tollitur.*

Quoniam verò etiam tibi data, & non concessa hac sola causa inflammationum, paulò superiùs iam palam fecimus missione sanguinis, hærentem in angustijs vasorum materiam obstructiones facientem, in motum vrgeri, nihil planè concludit, vt vides, hæc tua ratiuncula.

Subdis, *humores fluxos, seù stagnantes incapaces esse euacuationis*, & cum Luca Portio putas, *sanguinem stagnantem venæ sectione in vasa non reassumi*.

Profectò, si sanguis extrà vasa stagnare supponatur, verum est venæ sectione in vasa rursùs non reassumi; at verò si in angustijs vasorum minimorum hæret, ipsaque vasa congestione distendit, ex superiùs dictis manifestissimè constat venæ sectione in motum circularem humores illos abripi posse, quod satìs est, vt corruat omninò falsa, & erronea tua contra missionem sanguinis opinio; Plerumque autem in inflammationibus tumores fiunt per solam vasorum distensionem, absque eo quod extrà vasa exeat sanguis, nisi quando tumor disrumpitur; Et quotidiana

tidiana experientia docet miſſione ſanguinis reſolui tumores, & prohiberi, ne in ſuppurationem, aut diſruptionem tendant.

PVNCTVM XIII.

S*Vppreſſa menſtrua, & lochia iuuat.*

Hanc ſententiam impugnare multo apparatu aggrederis, ſed fruſtrà (me Iudice) diuagaris ad veterum, & recentiorum placita exponenda de cauſa menſtruæ purgationis. Non enìm
Pag. 218.
hoc argumentum breui digreſſiuncula tractari poteſt, à te præſertìm, qui tuum eſſe, inquis, inſtitutum ſolum exponere diſquiſitionem de venæ ſectione, *vtrum ſcilicet menſtrua iuuet ſuppreſſa*. Supponis, vnicam rationem eorum, qui ſanguinem mittunt in ſuppreſſione menſtruæ purgationis, exindè peti, quia venæ ſectio eſt vicaria menſtruæ purgationis. Deindè contra vſum mittendi ſanguinis pro curatione præfatæ ſuppreſſionis ratiunculas tuas exponere adniteris.

Quoniam verò in quacumque hypotheſi, non propter allatam rationem tantùm, ſed propter alias, conuenire ſanguinis miſſionem pro menſtrua ſuppreſſione, morbiſque ab ea pendentibus

tibus curandis, manifeſtum eſt ex ſuperiùs dictis; ideò fruſtrà fatigaris, dùm contra præfatam rationem tantummodò diſſeris.

Sed (vt alias omittamus rationes) placet hic illum mittendi ſanguinis ſcopum à te relatum, & reiectum propugnare, ſcilicet mittendum eſſe ſanguinem, quià venæ ſectio eſt vicaria menſtruæ purgationis, quod equidem nos commodè prętlituros confidimus ſolo tuarum oppoſitionum examine.

Duo præiudicia tollere fas eſſe exiſtimas (vt inquis) primum eſt, quòd pertinacitèr plerique, è vulgo credunt menſtruam purgationem pro cauſa materiali, ſanguinem bonum agnoſcere; ſecundum eſt, quòd plerique ex veteribus, & recentioribus ſibi perſuaſerint, interdùm venæ ſectionem ſuppreſſis menſtruis opitulari. Sed inter tot verba tua nihil planè inuenio quod rem à te propoſitam conficiat. Pag. 213.

Quoad primum, euertere pergis ſententiam ferè omnium veterum, & recentiorum quorundam, qui cenſent *menſtruam fœminarum purgationem* agnoſcere pro materia ſua ſanguinem non excrementitium, aut noxium, ſed vtilem, quamuis ſuperfluum in fęminis, *ad generationem promouendam, fœtumque alendum, & præclaras* Pag. 214.

de

de le Boè Syluij rationes refers, quarum aliquas tantummodò hic placet breuitatis gratia adnotare. *Cum ergò* (inquit Clariſs. Vir) *& ſanguis obſeruetur efluere mulieribus ad generationem aptis, & ſanis, nec grauidis, nec lactantibus, & quidem ſingulis menſibus; Cum ad ipſarum vterum prægnantem obſeruetur ſanguis fluere copioſiùs, quam tempore alio, cum poſt partum obſeruetur efluere multus lochiorum nomine notus, cum in viua brutorum, aut fœminarum in partu defunctarum ſectione, nil præter ſanguinem copioſum obſeruetur ad vterum, placentam, fœtumque ferri; Meritò puto me concludere ſanguinem maternum menſtruatim efluere, ac minui ſolitum, pro fœtus pabulo, ac nutrimento habendum.* Videamus modo quid tibi occurrat in contrarium.

Praxeos Medicæ lib. 3. cap. 3. de menſtrua purgat.

Vndè (inquis) *contingit, vt à menſtra purgatione læſa tot ſymptomata maligna proficiſcantur, motus viz. ſpamodici, lypotimiæ, epilepſiæ, febres malignæ, aliaq; huius generis pathemata? ſi mēſtruæ purgationis cauſa eſt ſāguis laudabilis, cur, læſa menſtrua purgatione, ſymptomata maligna prodeunt, communia etiam fœtui, vt ſunt Variolæ, Morbilli, & aliæ cutis efloreſcentiæ, quæ pro cauſa agnoſcunt ſanguinem menſtruum,*

quo

quo in vtero alitus fuit? Hęc sunt omnia quę habes ad tollendum, vt posuisti, primum prȩiudicium; putasnè rem confecisse? Sed cur tuas hasce ratiunculas, tu ipse infringis, allata responsione facili aliorum, quam ne impugnare quidem ampliùs audes? *Respondent* (inquis) *prædicta symptomata dependere non à sanguine menstruo, sed ab eodem circa vterum ex parte stagnante, quapropter idem paulatim ob morā acrior redditus suam acredinem reliquo sanguini communicat,* ac nerueas fibrillas (inquam ego) iniquis oscillationibus irritat, *vndè symptomata nuper enarrata excitantur.* Hoc liquet, quia non prodeuntibus mensibus per vterum, nihil tamèn detrimenti, quo ad symptomata notata patiuntur *fæminæ* (inquit Syluius) *quoties sanguis per nares, os, aliasque vias excernitur, vndè, licet via ista non sit naturalis, non coaceruatur tamen, nec corrumpitur sanguis, nec proindè memorata sequuntur symptomata fæminis tàm molesta, & grauia.* Cur ergò contra hanc responsionem nil aliud affers? aut, si aliud non habes in contrarium, cur tàm facilè dixisti te primum illud præiudicium ablaturum, *quo pertinaciter plerique è vulgo* (elato nimis animo sic loquutus es) *credunt menstruam purgationem pro*

causa materiali sanguinem bonum agnoscere?

Alias affers sententias Clariss. Ckarletonij, & Portij de causis menstruæ purgationis, & alia insuper hac de re afferre possemus, si nostri instituti ratio id permitteret; omnes tamen quæcumque afferri possunt, opinionem præfatam de la Boè Syluij, & veterum sententiam, non lædunt; Et si fermentum aliquod in vtero ponunt aliqui, vel tametsi Clariss. Ckarletonius succum nutritium à sanguinis riuo diuersum ponat, quo etiam fætus alatur, cuiusque reliquiæ diutina mora stagnantes, postquam in dies congestæ fuerint in vtero, æstum pariant, menstruas purgationes promouentem, adhùc tamen communis fert sententia hunc succum nutritium, non per neruos à Chilo immediatè distribui, sed è penu sanguinis suppeditari commissis placentæ glandulis, vt tu ipse iuxta immortalis præceptoris mei Malpighij hypothesim contra Ckarle-
Pag. 222. tonium sentis. Quamobrem tibi quoque rata est præfata propositio: alendi scilicèt fætus materiam ex sanguine depromi.

Sed, & Portij sententia, quam refers, hanc
Pag. 216. etiam propositionem confirmat. *Vult enim* (vt inquis) *eruditiss. Vir mulierem pati menstruationem propter ea, quæ in ipsius vtero præparantur,*

tur, ac fiunt, ea enim apta toro, vt plurimum quocumque anni tempore semper aliquid patitur ad speciei propagationem, vel fœtus nutricationem ordinatum, ac nisi lactet, vel vtero gerat, vt plurimum continuò aliquid in eius vtero præparatur, quod in fœtus vsum abiret, si ipsa plena esset. Illud autem, & si sæpissimè non sit multa copia, replet tamen primùm partem nonnullarum viarum, acceditque ad illos poros, per quos transiret ad fœtus regiones, si fœmina vtero gereret; ad placentam scilicet vterinam, & ad secundinas quibus puer inuoluitur: sed cum vterus sit inanis, & vacuus, frustrà etiam hoc fit. Quocircà lapsu dierum, non solum quia hoc in maiori copia est coadunatum in illis meatulis, verùm etiam, quià mora vitium aliquod concipit; tandem mulierem molestat, & conniuentes poros aperit, è quibus efflait. Enimverò id, quod in vtero præparatur abiturum in fætus vsum, si fæmina plena sit, non aliundè, quam è sanguinis penu deriuari vir ægregius dicit; alioquin tu eiusdem sententiam reprobares, velut illam Ckarletonij; Iam igitur confirmat ille pręfatam propositionem, qua scilicet dicebamus alendi fætus materiam ex sanguine depromi, quæque fundamentum est sententiæ veterum,

atq; Clarifs. de le Boë Syluij fuperiùs relatæ. Quamobrem ex his conftat luculentèr menftruã purgationem pro caufa materiali fanguinem bonum agnofcere, quamuis aliqua eiufdem portio, ob rationes præfatas retenta, vitium conceperit. Sed quid opus eft hanc veritatem fufiùs oftendere, cùm & fenfuum criterio pateat, imò nec tu
Pag. 219. *in fine*. ipfe parum conftans inficieris; Inquis enim: *Nõ inficior, iuxta hanc fententiam, fanguinem etiam quadantenùs ad conftituendum catameniorum fluxum concurrere, colluuiemque menftruæ purgationis tempore excretam, ex plurimo fanguine cum paucis fucci nutritij reliquijs tubulorum commixto conflari*. Ex quibus verbis mitiùs te nobifcum agere conftat, quàm decreueras, cum te præiudiciũ illud tollere propofueras, quo pertinacitèr plerique è vulgò credunt menftruam purgationem pro caufa materiali fanguinẽ agnofcere bonum; cum tamen controuertatur vtrum fanguis fit materia menftruæ purgationis; verebar enim ne *occultum*, & nouum quid allaturus
Pag. 213. effes, quo oftenderes in menftrua purgatione non excerni fanguinem, & quidem maiori ex parte laudabilem, fed aliquid aliud, quod, fub fpecie fanguinis, fenfus eluderet. Sed hæc dicta fint fatis, quo ad iftam propofitionem: fupereft,

pereſt, vt videamus an nè aliquid habeas contra id, quod veteres,& recentiores ſibi perſuaſerunt, interdùm venæ ſectionem ſuppreſſis menſtruis opitulari.

Afferamus autèm integros hac de re tuos contextus; *ſingillatim*, inquis, *rimando rationes, & ſingulas ſententias perpendendo, à prima initium ſumo: ſola phlebotomia in ſanguinis exuperantia eſt efficaciæ, ſi hæc concedatur. In ſanguine ſtagnante procul dubio non erit valitura; per medicamina fuſiua curatio eſt abſoluenda, ſuum motum ſanguini reſtituendo. Secundò ſanguinis miſſio ſanguinem minorat, qui neceſſariò ad vterum propelli debet, vt ſanguinem ſtagnantem fundat, & foras eliminet. Sed hoc ſpontaneum naturæ opus eſt, quæ phlebotomiæ nihil imitabile relinquit. Sanè extrà conſuetum ſanguinis motum ad vterum procedere non licet; Incaſſum igitur per phlebotomiam ſanguis educitur per alias partes; conſuetus hic naturæ proceſſus per vterum non facilè turbandus.* *Pag. 228.*

Iſta ne ſunt argumenta, quibus antiquæ opinionis *falſitatem* oſtendere propoſueras? Phlebotomia ſanguinis exuperantiam tollere manifeſtum eſt, ſed hanc ſanguinis copiam negas, at ſuo loco expendemus nouam tuam de plethora ſententiam. *Pag. 214 in principio.*

Quod

Quod verò in ſanguine ſtagnante longè magìs efficax, atque tutior ſit venæ ſectio, quàm oſtentata, & ſpecioſa medicamina fuſiua, iàm ſuperiùs palam factum eſt. Et ſanè, ſi ſanguinis miſſio copiam minuit, tantum abeſt hac de cauſa ſanguinem ſtagnantem non fundi, quìn potiùs hoc magno præſidio longè ſecuriùs, quam alijs, opus perficiatur; imminuta etenìm copia ſanguinis, neceſſariò augetur velocitas, qua quidquid ſtagnat prorsùm vrgetur, vt faciliùs fluat.

Prætereà cur venæ ſectio vicem purgationis menſtruæ gerere non poteſt, prohibendo ſaltèm imminentia mala, cum ſępè videamus, quoties ſanguis per nares, aliaſque vias excernitur, ſymptomata non pati mulieres ſuppreſſas, quę à ſuppreſſione cęteroquin pendere ſolent? Reſpondes *ſanguinem per venam ſectam eductum*

Pag. 118. in fine.

nulla peculiari vitioſitate ſordere; attamèn ex vtero ad alias partes propulſum vitiorum contagio ab eo conſpurcatum exire, neque ob id à vaſis rubris prorepſiſſe, ſed in ipſo vtero conſenuiſſe, ac labem contraxiſſe, debita ſibi ventillatione, ac motu deſtitutum. Quomodò iſtud, quod ſomnias contagium, ab vtero ad cor, & vſque ad nares commeatu vaſorum traſmiſſum, non intereà

tereà sequit, aùt symptomata non profert, quę suppressis familiaria sunt? Qua ratione, qua necessitate, vitiosus illę sanguis, postquam impunè toti massę permixtus fuerit, congregatur vna simul, vt effluat, quasi secretum aliquid absque cribro, per venas narium? Expendamus reliqua.

Secundæ sententiæ, inquis, *de fermento vterino non est congrua phlebotomia quæ sanguinis stagnantis, seù in vtero coerciti auerruncus non est. Sic consulta sunt remedia fusiua, vt nuper diximus, non autèm sanguinem insontem educere*; atque eodem planè argumento insistis cum Portio in sequentibus duobus paragraphis. Inquit enim Portius à te relatus: *quæcumque vena secetur, id quidem, quo menstruatio mouetur, & vtero primum, deindè vniuerso corpori molestum esse potest, nequicquam educitur*, ac tu paraphrasim addens, subdis altero paragrapho: *nec humana sedulitas præuertere naturæ sagacitatē absque noxa potest. Igitur medens eas aperire debet vias, seù poros, quos natura, cum benè operetur, recludere consueuit in vtero, &c.* Pag. 219.

Quorsum hæc? equis vnquam venæ sectionem consuluit, vt quod stagnat in vtero immediatè euacuaret? si sanguinis missio vias reddit fluxiles, vt identidem inculcauimus, oportunum

est

est remedium in suppressis menstruis, quæ pro causa torpidum motum agnoscunt, sanguinisque vitium, quo minùs fluidus ille redditur, quam in statu naturæ integro; atque ità duplici de nomine sacrum hoc remedium iuuat, tollendo scilicet plenitudinem, quæ necessariò (si quidem ritè computare vales) à suppressione ista dependet; (nullatenùs enìm admittenda est noua, & ingeniosa Clariss. Portij, ac tua simùl sententia, qua plenitudo vitiosa negatur, vt inferiùs luculentèr ostendemus) tùm prodest venæ sectio conciliando indolem illam sanguini, qua, in statu morboso, destituebatur, vt aptè flueret. Quibus peractis, iam specifica remedia (quæ cæteroquìn minùs efficacia forent) meliorem in corpore dispositionem inuenient, faciliusque proindè vires suas exerent.

Tandem in sententia Clariss. Ckarletonij missionem sanguinis non conuenire asseris: verùm si doctissimi viri sententia ità moderetur, vt hypothesi doctiss. Malpighij congruat, quemadmodum tu ipse exoptas, præfatæ nostræ rationes omnes falsas omninò euincũt oppositiones tuas. Prætcrquàm quod, si eiusdem hypothesim deffendere nunc animus esset, facilè etiam ostenderemus nullius momenti esse ratiunculas à te con-

trà ipsum adductas. Sed hoc perspicuum erit attentè legentibus Ckarletonij doctrinam, & oppositiones tuas. Placet autèm hìc, vt digressiones omnes euitemus, hypothesim præceptoris Clariss. Marcelli Malpighij à te probatam contra Ckarletonium assumere, atque tuas pro nunc tolerare censuras, quibus generosè inquis: *vt me medicis in disquisitionibus Neotericum reor, ità in Ckarletonij diudicando sententiam, non hostem eius me fateor; Nonnulla me Iudice reprobanda, & ad bonum sensum sunt reducenda. Sed re vera in hoc criminandus est vir Clariss., quoniàm varijs conceptibus idealibus obnubilatam, & non explicatam tradidit prædictam doctrinam, vt digito commonstrabo. Opinionem hanc duplici galaxia, licet ingeniosam, tamen à veritatis scopo valdè deflectere ex anatomè colligimus &c.* & paucis interiectis: *non inficias ibo*, subdis, *quin detur succus nutritius à cerebro per neruos ad omnes partes perlatus, aut quin sit concretum spirituum animalium; sed fateor hunc succum in glandulis cerebri corticalibus per secretionis viam generari. Huius materiam esse sanguinem distributum per arterias carotides ad prædictas glandulas, vt docet Clariss. Malpighius, &c.* His enim positis redeunt contra te

Pag. 221.

rationes omnes pro missione sanguinis iam allatæ, neque opus est alias, quæ hypothesi præfati Auctoris à te probatæ congruant, adducere.

Prætereà contra Ckarletonium differis eo quod prægnantibus plethoricis ad præcauendum abortum sanguinis missionem laudet, idque præstas in primis reprobando eius hypothesim, deindè negando periculum abortus ex nimia plethora pendere; Quoad primum, non est hic locus, vt diximus, hypothesim illam examinandi. Expendamus ergò quæ ad propositum affers. *Non concedimus* (inquis) *Ckarletonio, cùm*
Pag. 224. *Galenistarum turba abortiendi periculum prægnantibus præsertìm plethoricis impendens, haud rarò venæ sectione vitari. Vidi sæpè in praxi aliquos medentes ad præcauendum abortum venæ sectione vsos esse, sed incassum, ac proindè forsàn cum ipsius patientis interitu; sicuti si interdùm benè se habuerit, in eam planè suspicionem propendere possem, ægram haud maiore iure venæ sectioni, quam plumeo lecto sanitatis suæ restitutionem debere, iuxtà illud: sæpè numero inefficax medicamentum fortuna nobilitat. Sæpiùs autèm obseruaui abortum medicamentis specificis, siuè intrò sumptis, siuè exteriùs applicatis præcaueri*. Subdisque, *illud hic loci non*

omit-

omittendum erit abortiendi periculum prægnantibus valetudinarijs, & hypocondriacis impendere, non plethoricis, habitu carnoso, & optima indole præditis. Quarum corpora succis alimentaribus scatent. Hoc patet ex cordatorum practicantium obseruatione. Ego in praxi ad prægnantes cum abortiendi periculo acuratè attendebam, easque satìs exactè examinabam; atque ità tandèm omni passione in iudicando euitata, certissimè mihi persuasi, non à succi nutritij, pleonasmo abortum causari, sed potiùs ab eiusdem deffectu, nempè ab acido peregrino semper luxuriante ventriculi culpa genito, escam commutantis in saburram acidam, ex qua sanguis non procreatur, qui pro materia agnoscit Chilum laudabilem: Quare hoc defficiente, deficit paritèr sanguis, hinc abortus; Concludo hoc me consequutum esse, docere me ipsum, discere à me ipso, vulgi præiudicia à mea mente arcere, quibus immeritò facultas medica commaculatur.

Hęc sunt, quę adducis auctoritate propria, & rationum vice obseruationes tuas substituis, quę quidèm quid valeant, quamque cõcilient fidem, attenta lectio satìs superq; demonstrat. Nam si sæpè venę sectio non profuit ad pręcauendum

 abortum,

abortum, non sola plethora in illis casibus fuerat abortus imminentis causa; Deindè si forsàn interitus causam fuisse inquis venæ sectionem, hoc non vidisti, hoc non obseruasti, non enìm illa particula vsus fuisses, dubietatem tuam significante, atque obseruationis certitudinem tollente. Quod verò subdis, abortum ab acido vitiante alimentum fętus proficisci, transeat. Quid indè? An ne hac admissa causa negabimus alias? An ne tu, qui doces te ipsum, & à te ipso discis, omnia obseruasti? Si plethoram inter abortus causas non obseruasti, obseruarunt alij; & ego testari possum me id non semèl vidisse. Vnica breuis sufficiat historia. Illustriss. Maria Angela Soffredi Soceri mei primi vxor secunda, habitu corporis quadrato, & optima indole pręditа, plenitudine sanguinis oppressa, dùm vtero gereret, tertio ni fallor, vel quarto gestationis mense, quam Medicus non consuluit, sanguinis missionem à natura obtinuit; Hiantia enìm ceruicis vteri vasa tantam profuderunt sanguinis copiam, vt abortum continuò expectaremus, cum tamen fælici successu cesserit sanguinis profluuium, &, exonerata natura, fęlicissimè partum ad maturitatem protraxerit.

Cętera quę contra Galenum habes, circà menstruę

ſtruę purgationis cauſam, cùm ad rem noſtram non faciant, & à Clariſs. Ckarletonio, quem adhùc impugnaſti, excerpta ſint, vt inutilia omittenda duximus. Pag. 226.

PVNCTVM XIV.

HEmorroidas cohibitas iuuat *sãguinis eductio per hirudines*. In bonum ſenſum reducenda eſt hæc doctrina, non enìm, quæ demonſtrationibus anatomicis repugnantia Galenus tradidit, admitto, ſed neque propterea omnem reijcio doctrinam, ſaluo enìm ſanguinis circuitu, in quacumque hypotheſi vera eſt præfata propoſitio, ſic præcisè intellecta, vt expoſuimus, idque manifeſtum eſt ex ſuperiùs traditis; eadem enìm de cauſa, qua ſanguinis miſſionem prodeſſe oſtendimus in ſuppreſſione menſium, hirudines cohibitas hemorroidas iuuare neceſsè eſt; ac tametſi ſanguinem non trahant è profundo, ſed ex ijs dumtaxat partibus, quibus admouentur, vt inquit Vanderlinder à te citatus, negari non poteſt id præſtare hirudines, quod venæ ſectio, quatenùs ipſæ quoque ſanguinem educunt in ſupplementum naturalis illius cohibitæ euacuationis, idque ſatìs eſt,

vt manifesta sit propositio eadem necessitate, quam superiùs in suppressione mensium adnotauimus.

Sed consuetæ exercitationis gratia expendamus quæ in contrarium effers. *Euacuatio, quam natura per hemorroidas molitur, spontaneum est naturæ opus*, inquis, *quæ arti nihil, aut parum*
Pag. 228.
imitabile relinquit; Quod est inutilè, à natura lacessita segregatur à sanguine, & foras eliminatur, & vena expurgatur cum aliqua portione sanguinis, qui vtilitèr retineretur, si per glandulas traijceretur: Non retinetur, quia expellitur per anastomosim, idest per oscilla vasorum aperta, per quæ, dum illud inutilè, seù morbidum expellitur, exit quoque aliqua sanguinis pars ei tincturam rubram tribuens. Sed hæc fusè à Clariss. Portio. Vidisti ne vmquam sanos alioquin viros, & laudabili præditos temperamento euacuationibus per hemorroidas exonerari assuetos? Ego certa huius rei exempla possum afferre. Vidi enim sæpè huiusmodi euacuationibus assuetos laudabilem sanguinem cum leuamine statis temporibus dare, absque vllo vitij alicuius iudicio prçter plenitudinis notas. Scio te plenitudinem cum Portio negare, de hoc autèm inferiùs. Intereà sensu iudice in illis casibus nullum conij-

cere

cere potui laticem vitiosum, quo natura stimularetur.

Clariss. Portius à te citatus pag. mihi 181. fusè, atque elegantèr, inquit, *quod si contingat humores corporis particulas nonnullas habere, vel minùs resolubiles, vel minùs aptas in circulum ferri, & meatus penetrare, & è vasis in vasa transfundi; necessum est easdem particulas alicubi impingentes, obstructiones primùm facere, deindè alias, atque alias circa partem illam congregari; Et circum existentia vasa, proptèr impeditum liberum humorum motum non nihil intumescere, & turgere.* Tùm paucis interiectis subdit. *Quacumque de causa in intestino potiùs recto, quam alibi pars aliqua intumuit, & circum existentes venæ particulis, turgidæ factæ fuerint, ad motum, circulationemque minùs idoneis; si vel spontè, vel Medici industria disrumpatur pars illa, vel aperiatur; primùm efluet id, quod antequàm deponeretur in hemorroidas mixtum sanguini inutilè erat, & morbos parere poterat, & id quod minùs aptum erat ad angustias vasorum peruadendum. Posteà si quid aliud consequitur vtiliorum humorum, eo meliùs vna expurgantur reliquiæ fortè adhùc in parte affecta restagnantes &c.* Veruntamèn non

con-

conclusè admodùm, vt fortè opinatur, probauit anteà vitiosam plenitudinem non dari, ob quam sanguis (nisi spontè, vel Medici industria aliquantulum euacuetur) minùs aptè pororum, & meatuum angustias permeare valeat; quo in casu nihil omninò ęgregius vir concludere valet contra venę sectionem. Quod si sola prohibita perspiratio vitiosam producere potest sanguinis plenitudinem, qua ineptus iste liberè ad fluendum per angustias vasorum reddatur, vt superiùs innuimus, & vt inferiùs ostendemus fusiùs, & vt experimentis Clarifs. Sanctorij constat; Quid ni dicamus spontaneam sanguinis euacuationem, hac de causa per hemorroidas naturam moliri, absque eo quod fingamus aliud, cuius nullum habemus indicium? Ego certè, quia pluries monuit Hypocrates hanc naturalem euacuationem à Pleuritide, Peripneumonia, alijsque morbis viros liberare, probabiliùs puto (si quid iudicare valeo) naturam huiusmodi euacuationes instituere in supplementum perspirationis suppressę, ex qua cęteroquin morbi pręfati facilè fieri possent. Si ergò ęquè bona venę sectio supplet, vt iàm superiùs ostendimus, quarè non poterit hemorroidas iuuare cohibitas? Sed liberalitèr data, & non concessa eru-

ditissimi viri suppositione, quis non videt venæ sectione fieri posse resolubiles moleculas illas vitiosas, quæ in sanguine delitescebant, obstructionibus producendis aptæ? velocitas circularis motus, per sanguinis missionem aquisita, ne dum sufficit, ad atterendas moleculas illas, sed etiam ad expurgandas per idonea glandularum cribra.

Pro coronide te moneo pluriès me in praxi obseruasse viros, qui ob vitiosos latices sanguifluis venis laborare consueuerunt, infælicitèr huiusmodi euacuationes perpessos fuisse, ac dolorem, & morbum potiùs, quam leuamen ipsis hanc vasorum aperturam extitisse: contrà verò illos, in quibus præfatæ tantum plenitudinis habemus indicia, euacuationes facilè per hemorroidas absque vllo incommodo, imò cum leuamine tolerasse. Prudens Medicus attentè causas rimari debet, ac præmaturas opiniones vitare.

PVNCTVM XV.

VEhementissimos compescit dolores venæ sectio; & Galenus optimè tradidit in vehementissimis doloribus saluberrimum esse præsidium. Videamus nouas oppositiones tuas.

 Omni

Omni fluido, inquis, *natura locum assignauit. Continentibus, quæ expatiantur, noxam exhibent. Fluidum vasis naturalitèr continetur, quibus si excedat, ac effundatur, est humor loco peccans; extra vasa autem varijs ex causis effluit. Rumpuntur, & exeduntur vasa, quibus depluit, tùm in carnem, tùm in corporis cauitatem: copiosi influxus caro minimè est capax: Hinc alieno hoc in loco coagulatur, ac acrior euadit vario modo, ac mensura; atq; ità morbus omnigenus, indeque dolores, ac innumera omnigenæ conditionis symptomata emergunt. Inter varia præsidia vulgo recensetur deriuatio, quæ humori stagnanti tribuitur, qui per vicina est educendus. Sed motus sanguinis in orbem reddit deriuationis rationem perplexam: omnium venarum, ac arteriarum esse communionem comperimus; exempli gratia venam frontis, ramum scilicet iugularis, excipere sanguinem è ramo arteriæ carotidis externæ. Venam ramariam originem debere iugulari; eam haurire item sanguinem ex carotidum surculis, quas carotides æquali communione gaudere cum aorta, prout reliquas, detectũ est; Hinc nullum omnium discrimen est; Et, quod iuuamen ab apertis hisce vasis speratur, perexiguum est: Adaucta effusi ex alijs sanguinis*

Pag. 229.

nis

nis quantitas, vel pluries facta sectio paria faciunt. Quod si non saltèm procedant, necessarium est. Humori foras effuso ibique stagnanti, & acriori reddito, doloris sensum producenti, alijs remedijs, non venæ sectione, contra niti decet.

Hæc sunt omnia, quæ in huius puncti dissertatione habes: nihil tamèn inuenio in hisce tuis verbis à me fidelitèr transcriptis, quod disputatione dignum videatur. Non enìm ad vehementissimos dolores producendos necesse est extrà vasa sua liquida efluere; sed satis est si vasa, per quæ sanguis, aliaque fluida mouentur naturalitèr, obstructione, aut compressione præuia, vel etiam rarescentia eiusdem liquidi, (ne dicam inflammatione) nimis distendantur. Quinimò satis est, si per atmosphæram ipsius sanguinis intrà vasa sua fluentis, expirent particulæ vi stimuli præditæ, quæ adiacentes membranas, nerueaque corpora feriant acritèr, & in oscillationes enormes adigant, ità vt liquidum nerueum, spiritusque animales (quorum fluxu, & refluxu præsertìm motuum, sensuumque munia exequuntur) in motus irregulares, & assimetros veniant (vt generatìm modo, & in qualibet hypothesi loquamur de germana doloris coniuncta causa.) His enìm positis missionem

 sangui-

ſanguinis prodeſſe, & compeſcere vehementiſſimos dolores manifeſtum eſt, ex iam dictis, quoniam, & inflammationibus opitulatur, & rareſcentiam ſanguinis compeſcit, & obſtructiones tollit, & vitioſis perſpirationibus faciliorem extrà corpus exitum parat, vt iàm oſtendimus. Ideòque, cum ab huiuſmodi cauſis frequentiſſimè dolores ortum ducant, manifeſtum eſt, quod propoſitum erat. Nec tu contrà iſtas neceſſitates ab hoc remedio pendentes aliquid protuliſti, ſed tantummodò *humori foras effuſo doloris ſenſum producenti, alijs remedijs, non venæ ſectione contrà niti debere*, aſſeris. Quinimò nec iſtud quidem probas, ſed veluti ex tripode loqueris, cum tamèn facilè ſit oſtendere venæ ſectionem prodeſſe quoque vbi humor foras effuſus, & ſtagnans doloris cauſa ſit; Nàm ſi venæ ſectione impeditur nouus exitus humoris extrà vaſa imminuta vaſorum tenſione, non ne hoc de nomine ſaltèm proderit? Ea verò, quæ contrà deriuationem habes, iàm ſuperiùs falſa, & nullius momenti eſſe demonſtrauimus, nec modo ad propoſitum punctum faciunt; ſufficit enìm generatìm hactenùs oſtendiſſe venæ ſectionem vehementiſſimos dolores compeſcere.

PVN-

PVNCTVM XVI.

SAnguinis miſſio tandèm *naturam à cacochimia in vaſis ſanguifluis exiſtente deonerat.*

Hanc rationem expugnare inani conatu aggrederis, nil enìm aliud habes, quam conſuetam tuam cantilenam, imò nihil planè huic ſententiæ directè, ac ſpeciatìm opponis, idque vt pateat, non pigebit referre omnia verba tua; *Quo corpus vegetatur, & viuificatur* (inquis) *quo vita alitur, & conſeruatur, cauſatur, ſuſtentatur, & declaratur, animæque tutela, vehiculum, & nutrimentum à ſangnine non diſtinguuntur, vt ſuprà demonſtraui. Hæc luculentiſſime, & fusè à Clariſs. Portio dialogo primo de ſanguinis miſſione. Quarè ſatìs liquet per venam ſectam corpus natura deonerari. Quidquid impuritatis, & illuuiei nectar ſanguineum vitiat, & infeſtat, varijs elicitur modis, perſpiratione, ſudore, diureſi, alijſque præſidijs. Si ſanguis eſt vitiatus ob particularum exaltationem ipſum componentium, eſt corrigendus iuxtà illud Hipocratis lib. de veteri medicina. Miſce, & redde inconſpicuum. Si craſſus, & coagulatus, fuſorijs tractandus, ſi tenuis, & efferus* Pag. 230.

figendus:

figendus: curari debet ſanguis: Curatio eſt motus à morbo ad ſanitatem remanente ſubiecto. Pars corporis continens vitiata non auellitur, quia animata, ſed vitio priuatur; Cur non ſanguis, animalis vita, curandus, ideſt vitio emendandus? à vaſis apertura de vitiato non de vitio tollitur; ſed ad quid pluribus? Hùc facit etiam maſſam ſanguineam depurari per glandulas, tùm conglobatas, tùm conglomeratas; depuratio effectus eſt naturæ ſe exonerantis, non artis, hæc iuuat ope, illa opem.

Perbellè profectò, ſed nihil planè concludis; à ſanguine benè habente nutrimentum, & vitam pendere iàm ſuperiùs diximus, & hoc ſanè perſuadere ad ſummum poſſunt allata ſuperiùs tua, aliorumque hac de re verba, quæ abs re demonſtrationes apellas. Non ſunt profectò tàm dociles alij, vt huiuſmodi lucubrationes tuas, quamuis eruditas, pro demonſtrationibus excipiant, quemadmodùm animosè ſupponis; ſed hac de re ſatis ſuperiùs: Impuritates ſanguinis *perſpiratione, ſudore, diureſi* expurgari verum quidèm eſt, at æquè certum eſt venæ ſectione mirabilitèr, tutò, atque efficaciſſimè haſce, aliaſque euacuationes promoueri: Vno verbo, diſponi materiam, vt aptè per glandulas idoneas (motu

ſangui-

ſanguinis liberiore reddito ſeparetur, vt iàm ostendimus. Præthereà venæ ſectione craſſum, & coagulatum ſanguinem, tutò, & efficacitèr magìs, *quam fuſorijs* à te propoſitis, atteri, atque in meliorem craſim verti, ex præfatis conſtat: Tenuem verò, & efferum hoc eodem remedio compeſci palam eſt; quatenùs in perſpirationẽ adiguntur efferæ tenuiores particulæ, quę maſſam vniuerſam exagitabant, ſanguiſque vtilitèr refrigeratur, vt diximus. Hæc eſt optima, & tutiſſima via curandi ſanguinem, non obſtante vana illa, & puerili ſpecie timoris, qua tu fortè perterritus terrere vulgus non vereris. Pars ſolida morbo aliquo laborans non amputatur, nec ideò inferre licet ſanguinem vitio aliquo inquinatum è venis non educendum fore. Sanguis enìm continuò ab ingeſtis regeneratur, pars ſolida ſemèl abſciſa nequaquam. Prætereà, tametſi vtilis aliqua portio educatur, perexiguam hæc proportionem habet ad tantam ſanguinis copiam, quæ adhùc in corpore ſecta vena luxuriat, quæque multò vberior eſt, quam vitæ functionibus præſtandis par ſit; Ideòque perexiguum hoc impendium abſque vlla læſione virium fit, & nihili omninò faciendum eſt, ſi præſertim ad magnas, quæ indè ſequuntur

tur

tur vtilitates, ipsum comparemus. Vessicantia, purgantia, opium, aliaque huiusmodi pharmaca, quibus tu quoque in medicina facienda vteris, longè magis consumunt vires, quam sanguinis missio; Illa enim vi stimuli spiritus in nerueo latice hospitantes exprimunt. Opium venefica vi consumit, nec tamen ideò cum opus est, aut cum necessitas vrget, eiusmodi remedia proscribuntur ab arte: sanguinis missio longè securior est, ac timor, quem incutis, hypocondriacos quidem, non autèm sanos viros apprehendere potest.

Neque minima (subdis) *hoc in loco est de sanguinis plenitudine altercatio*: Hæc verò aliena est à nuper proposita quæstione, ideòque mox altercatio hæc est compescenda.

CAPVT XIII.

In quo Dominicus la Scala suam de plethora opinionem exhibet.

TVam de plenitudine opinionem prolaturus, in fine duodecimi capitis, duplicem à Galeno expositam plethoram refers, alteram respectu ad vires, alteram ad vasa. Plethoram simpli-

simplicitèr consistere, inquis, ad mentem Galeni omnibus humoribus æqualiter adauctis, plethoram verò sanguineam in solo sanguine, quem pro quarto humore Galenus accipit. Cacochimiam contrà in alicuius alterius humoris super alios excessu. Porrò plethoram ad vires eam dici, *quæ licet vasa præter modum non repleat, ab ea tamèn corporis vires veluti opprimuntur*.

Post hæc, Galeni doctrinam, *vt phantasticam, & à sensibus remotam* explodis, eo quod non dentur isti quatuor humores massam sanguineam componentes, atq; etiam si concedantur, *erumpere* (inquis) *in graue erratum, dicentes plethoram appellari, quando quatuor humores sunt æqualiter adaucti, vel si solus sanguis simplex alijs antecellit*. *Dicant quæso*, subdis, *quibus oculis lincæis hoc discernunt? Quo sensuum criterio hoc distinguunt? vt ergò omnis fucus relinquatur*(concludis) *amplector, quæ menti meæ magis satisfaciunt, dicendo plenitudinem, si fortè detur, eam esse, quæ ad vasa, eorumdemque capacitatem referri debet; siuè sanguis sit simplex, siuè agregatum ex quatuor humoribus*. *Pag. 230. & 231. in fine.*

Veruntamen si potest intelligi plethora, absque eo quod obstringamur hypothesi quatuor humorum, de hac dissertaturus frustrà in

illius hypotheseos censuram distraheris. Galeni oculos verè lincæos fuisse in discernenda plenitudine quo ad vires manifestum fiet ex dicendis inferiùs, eaque fortasse menti tuæ satisfacient, nisi obstiterit præiudicatæ opinionis tuę pertinacia. Primùm autèm videamus quid noui hæc tua opinio de plethora proferat integros contextus tuos afferendo.

Prima plenitudinis species, (inquis) *quæ à*
Pag. 232. *Galeno dicitur quo ad vires, est friuolum commentum. Malè Galenus sanguinem accepit veluti pondus externum, à cuius grauitate* 100. *circitèr vnciarum, robusti hominis vires non opprimantur, vitam verò valetudinariam ducentis opprimantur; Ità vt à sanguine veluti à pondere aliquid detrahere expediat, quo infirmi hominis vires leuentur*. Tùm statìm prosequeris. *Dùm hic loci de plenitudine Galenica quoad vires mentionem facimus, in memoriam venit haud illepidum Galeni indicans mittendi sanguinem, quod modo sumendum à virium robore, modo sumendum præcipit à virium debilitate;* (hæc autèm restaurantia indicat), *cum se graues, pigros, & in motu torpidos sentiunt patientes*. Porrò subdis: *vt autèm quo pacto se res habeat iudicemus, ei facilè hoc modo respondendum*

dum putamus. Perperàm Galenus comparat animalis vires cum pondere externo corpus opprimente; ſanguis enìm non eſt veluti pondus, ſeù corpus graue, quod eſt animali extrinſecum, & nihil ad ipſum pertinens, à quo ſi magìs, ac magìs detrahas, magìs, ac magìs animal leuabitur, ſanguis enìm, non ſolùm eſt quid intrinſecum animalis conſtitutiuum integrale, verùm eſt, vt plùs ſemèl diximus, quo corpus vegetatur, & viuificatur, animæ vehiculum, nutrimentum, & tutela, quoue cauſatur, ſubſtentatur, & declaratur vita. (Concludis tandèm) *quare decachinnandus eſt ille, neſciens, quo corpus vegetatur, & viuificatur, vires, & ſanguinem, in quo animalis vita maximè conſiſtit, & conſeruatur, & à quo naturalis calor humidumque radicale fouetur, & miniſtratur, ſpiritusque vitales formantur, & ſuggeruntur, identificari.*

Memini totam me hanc doctrinam legiſſe apud eruditiſſimum Portium in elegantiſſimis dialogis ſuis de ſanguinis miſſione, ideòque nil adhùc noui tuo in hoc capite habes contrà plenitudinem ſanguinis. Hanc verò laudati viri doctrinam, pro rei dignitate, diſtinctè expendemus inferiùs. Intereà quid aliud afferas diſpiciamus.

 A pro-

Pag. 233. A propoſita opinione tua de plethora digrederis afferens denuò conſuetam tuam cantilenam contrà ſanguinis miſſionem, quod ſcilicet, *ſanguinis miſſio non coquit* (vt inquis) *ſed ſanguinem, ideſt naturam, ſeù animam inferiorem exhaurit, prædaturque de viribus animalis*, & adducis exemplum ex vino deſſumptum, quod itèm, ni fallor, legi apud eumdem: Oenopolas videlicet vinum a fęculentijs liberaturos, non educere ipſum è dolijs, ſed præcipitantia adhibere; Ideòque Medicum hoc idem præſtare debere, *vbi ſanguis, ſeù natura eſt ſarcina oppreſſa*. Iàm verò ſuperiùs miſſione ſanguinis non exhauriri naturam ſatìs ſuperque oſtendimus; quin imò in morbis magnis, & acutis præſertìm, vires leuari per ſanguinis miſſionem demonſtrauimus capite primo, & ex fuſiùs dicendis inferiùs, palam fiet; certum eſt etiam ex dictis in capite ſuperiori miſſione ſanguinis promoueri ſegregationem inutilium humorum in glandulis, neq; ideò exemplum ab Oenopolis deſumptum valet quidquam contrà ſanguinis miſſionem; non enìm detractio vini ex dolio promouere poteſt ſecretionem inutilium per idonea naturæ cribra, quæ ibi deſunt, quemadmodùm deeſt etiam motus circularis ad inutilium ſegregationem

gationem necessarius; at verò sanguinis missio circularem sanguinis motum, vt diximus, magis expeditum facit, & hoc de nomine secretiones inutilium per cribra glandularum facillimè promouet, quæ cæteroquin non ità facilè, neque tutò violentis præcipitantibus, aut huiusmodi speciosis arcanis obtineri possent.

Adducis posteà doctrinam Helmontij, qua ille nunquam in febribus plethoram subsistere opinatur, ac proindè sanguinis missionem nunquam indicari. *Membra* (inquis) *in febricitantibus sanguine consueto nutriri non cessant, idest adhùc præter consumptionem à febre causatam, suam cruoris soliti taxam consumunt, etenìm, si benè valenti quotidiè fiant vnciæ octo sanguinis, necessum est totidem quoque in dies in alimentum assumi; alias in immensam molem mox homo protuberaret. Quod si ergò benè valenti quotidiè decidant vnciæ octo cruoris, certè non minùs consumet febris.* Ergò (concludis) *cum nulla, aut parua ciborum sit appetentia, dige-* Pag. 234.
stio, & sanguificatio, necessariò quoque mox plethora binis diebus, si qua sit initio, defficiet, cessabitque eius indicatio pro cruoris missione in febricitante. Quin imò post tanti viri fallacem ratiunculam, quam appellas demonstrationem,

con-

concludis cum eodem, *non posse dari sanguinis vitium in quanto, ex eo quia vires peccare non possunt abundantia*; atque ità concludis. *In Mathusalem nec bonum sanguinem peccare nimietate, eo quod vires vitales, & sanguis sunt corelatiua, quia vel diuinarum more litterarum esse dicitur carnis anima, &c.*

Verùm leuis illa, & fallax ratiuncula eos quidem decipere potest, qui penitùs ignorant animalis oeconomiam; nullatenùs tamèn decipiet eos, qui physiologiæ, atque pirethologiæ fundamentis instructi sunt. Pro ratione perspirationis, copia sanguinis magìs, vel minùs luxuriat in vasis, idque, vt notissimum, inferiùs demonstrabimus. In febre sanguinis motum turbat intrà vasa retentum, id, quod cæteroquìn blandè per cutis poros expurgandum fuisset; quod sanè cum ex obseruationibus Clariss. Sanctorij valdè copiosum sit, obruit in febribus naturam ipsam, nec mirùm proindè, si ciborum appetentia, & digestio desit defficiente motu illo, quo secundùm naturæ leges digeri, & consumi solet assumpti à sanguine pabuli materies. En igitur quam falsò dicis cum Helmontio in febre defficere plethoram, & cessare indicationem mittendi sanguinis. Quod verò generatìm promulgat

mulgat Helmontius *in Mathusalem non peccare copia sanguinem*, ex insufficienti etiam animalis oeconomiæ notitia profluxit, nàm si ritè necessitatem digestionis, & perspirationis agnouisset, clarè profectò percipere potuisset, pro ratione suppressæ transpirationis plethoram augeri. Eoque præsertìm, quando, vt inquit Sualue à te citatus, succedit perpetìm auctior Chilus, & suprà debitam mediocritatem luxurians.

Falsò etiam contrà Sualue asseris, ex Chilo auctiore semper virium robur emergere, *idest sanguinis plethoram, quæ non est vitium sanguinis in quanto*, nàm, si plùs assumatur, quam par sit instaurando corpori, & suppeditandæ materiæ transpirationis, aliarumque secretionum, necessè est molem sanguinis, aliorumque liquorum è penu eiusdem profluentium augeri, vt euidentissimum est re ipsa, cum vnaquæque quantitas superaddita quantitate adaugeatur; atque omninò abs re supponis adauctam sanguinis molem, arteriarumque repletionem quamcumque non esse vitiosam, nec naturæ legibus aduersari: Animalis enìm symmetria certos denique fines habet, vltrà quos consistere nequit, nec minùs vitiosa est repletio nimia, quam inanitio improba. Tu curiosè obseruas

fibras

Pag. 235. *fibras omnes, in suo naturali statu collocatas, aliquam violentam tractionem pati; Nam, si scindantur, sponte sua contrahuntur, & breuiores fiunt, quod non contingeret, si illæ fibræ essent in æquilibrio laxitatis, & contractionis, quod sanguinis imminutio causat; sicut arcus soluta chorda non patitur contractionem, & distractionem; Igitur*, subdis, *quo magis ampliatur arteriæ cauitas à sanguine repletæ, eo magis eius fibræ transuersales elongari debent, & multo maiorem, seu violentam distractionem patientur, cui succedit arteriarum constrictio, quæ sine fibrarum circularium contractione fieri non potest, quæ est ipsis fibris propria, & connaturalis:* Tandem inquis: *Illa violenta fibrarum distractio ab arteriæ turgentia, seu sanguinis plethora proficiscitur*. Et profectò verum est violentam fibrarum distractionem à sanguinis plethra proficisci: si ergò est violenta, quomodò naturalis? An nescis ornatissime vir, naturam animalium non sine læsione violentias pati? Symmetriam firmarum partium, & liquidarum etiam in commoderatione, & mediocritate consistere? Dixeras paulò antè *vasorum fibras motrices distractioni resistere, & vi pollere se contrahendi ad instar arcus distracti*, & hoc admittimus, sed, si

nimia

nimia sit copia distrahens arterias, non ne patet foreut contractiles illarum fibrę maiorem inueniant resistentiam? ideòque difficiliùs pro rei necessitate contrahantur? miror certè hęc te non aduertisse.

Despicis Galeni sectatores dicentes plethoram, vel suffocationem spirituum regentium, vel vasorum disruptionem minari, ideòque non esse naturalem, sed vitiosam. Ipsos *hallucinari* statìm pronuncias, quia *spiritus regentes, in quibus robur vitale residet, in sanguine nidulantur, suntque pars constitutiua principalis sanguinis; ijs absentibus*, inquis, *sanguis coagulatur, ineptus redditur ad corpus viuificandum*: subdisque: *Omnes liquores fermentescentes spiritibus cum suo concreto constare, vt sunt cereuisia, vinum, cæterique liquores spirituosi; idem de spiritibus vitalibus cum suo concreto sanguinem componentibus* fateris, & dicis insuper: *spiritus non suffocari à liquore, quem constituunt, vt patet in spiritibus vini, qui non suffocantur à vino, quàmuis sit in maiori mole: sic porrò de alijs spiritibus aliorum liquorum, & sanguinis* ratiocinaris. *Neque est*, inquis, *vasorum disruptio metuenda; hanc enìm causaret plethora postrema, quod est impossibile, quia va-*

ſa decuplo, & forsàn ampliùs ſunt extenſilia; Tùnc autèm rumpuntur, quando ad extremam tenſionem ducuntur.

Nec tamèn aduertiſti malè comparari ſanguinem cum vino; nàm ille liquor valdè compreſſilis eſt, & eo magìs eadem contractione vaſorum comprimi neceſsè eſt, quo magìs copia luxuriat. Non aduertis etiam obſtare nimiam copiam, nimiamque compręſſionem libero, ac regulari motui ſpirituum, quo iſti iuxtà naturę leges vniuerſum ſanguinem aptè permeare debent; obſtare etiam libero motui ſanguinis per directiones canalium, obſtare omnibus ſeparationibus, tùm eorumdem ſpirituum per glandulas corticis cerebri, tùm aliorum liquorum per glandulas ſuas; multa denique non aduertiſti, ad quę certè ſi reſpexiſſes, non tàm facilè inania iſta commenta pronunciaſſes; Hęc autèm in diſſertatione paulo inferiùs exaranda de plenitudine, in gratiam nouę opinionis eruditiſs. Portij clariora fient.

Denuò Helmontium aduocas, qui non *infiatur* (vt inquis) *dari repletionem, ſeù plethoram quo ad vaſa, ſed eam eſſe naturalem, ſeù intrà ſanitatis latitudinem*, ideòq; in athletis ab Hipocrate cōmendatam fuiſſe ſanguinis miſſio-

Pag. 236.

nem,

nem, non ob plethorę vitiosę metum, sed ne vasa repleta in exercitijs disrumperentur. Constat verò iàm ex dictis hanc nudam Helmontij à te relatam opinionem falsam omninò esse, atque dari certos tùm repletionis, tùm inanitionis vasorum fines, vltrà quos consistere sanitas nequit.

Digrederis iterùm reijciens venę sectionem in febribus, quam conuenire docet Schola ratione *vitiosorum humorum sanguinem perturbantium*, nàm cum Helmontio respondes non indicari turbati cruoris exhaustionem, sed turbatoris, seù vitij ablationem; Mors enìm contingit, quia sanguis corrumpitur ob vitium contractum, per venę sectionem cum sanguine tolli vitium, ac defficiente sanguine in vasis, vel sequi mortem, vel vires eneruari. Secundò respondes *sanguinem, qui è cubito trahitur, primusque educitur, puriorem esse, ac relinqui intùs impuriorem*.

Pulcra sanè doctrina, si venę sectio nil aliud, pręter euacuationem, moliretur, sed pręttereà facilius promouentur secretiones omnes liquidorum sanguinem turbantium, atque vberiore perspiratione vitiosum etiam e sanguine, post venę sectionem, extrà corpus vrgetur, vt ma-

nifestum iam identidem fecimus. Id verò, quod cum Helmontio contrà Scholam affers: non promiscuè humores venæ sectione euacuari; sed sanguinem eductum puriorem esse eo, qui relinquitur, profectò non possum non mirari, cum præsertìm tu propositionem istam comprobaturus, tibi ipsi manifestè in eodem contextu contradicas, inquiens. *Et quamuìs per venam sectam sanguis cum impuritate educatur, & impuritas è corpore minoretur, non ideò sequitur iuuamen, quià sanguis in vasis relictus remanet eadem proportione impurus, vt priùs.* Cur ergò propositionem tuam non probas, sed inutilitèr potiùs comprobas opinionem, quam refellere tentasti? cum paulò antè dixeris: *Quidam è Galenistis sibi persuaserunt celebrandam venæ sectionem quià humores promiscuè euacuantur, sed perperàm, quià sanguis eductus purior est eo, qui relinquitur:* Lectoris expectationem eludis. Sed non est prætereunda animaduersio tua in hoc eodem contextu allata, qua statìm progrederis: *sequitur sanguinis missionem non esse celebrandam, quià nullam affert patienti vtilitatem, vt testantur sanguinis hemorragiæ symptomaticæ, quæ in febris principio fiunt cruda existente materia.* Te verò admonemus obseruare

omnes quicumque hìc medicinam faciunt hemorragias in principijs etiam febrium vtiles esse, non minùs quam venæ sectionem, dummodò tanta non effundatur copia, quæ vires debilitet, quo in casu vitium sanguinis hemorragias eiusmodi promouens, maiùs est, quam vt sola hac euacuatione compesci possit, alijsque præsidijs tùnc natura indiget. Cæterùm moderatæ hemorragię ne dùm ratione istius euacuationis vtiles in febribus sunt, verùm etiam quià futuras separationes, & crises non minùs, ac sanguinis missio disponere valent, ob rationes identidem superiùs exaratas. Quamobrèm luculentèr patet Helmontium male concludere; *cacochimiam non indicari venæ sectionem, sed potiùs purgationem, quæ selectionem humorum vitiosorum educit*, nàm venæ sectio potiùs, quam purgatio in principijs morborum acutorum, ac febrium præsertim conuenit ex doctrina magni Hipocratis, & Galeni, quatenùs videlicèt rem ità comparare potest, vt faciliùs expulsionem vitiosi humoris consequamur, vel vt faciliùs etiam, per pharmacum opportuno tempore exhibitum, expurgatio eiusdem vitiosi humoris instituatur. Quo circà in methodo medendi optimè Franciscus Vallesius inquit, *meliùs præparat sanguinis* Pag. 237.

nis

nis missio ad purgationem, quam purgatio ad sanguinis missionem, hæc enim laxat vias, quo maximè corpus expurgandum indiget, illa debilitat vires, quo nihil ad mittendum sanguinem periculosius &c.

Difficultatem à nobili quodam anglo tibi factam contrà plethoram affers. *Dicebat enim* (inquis) *si cui, vel crura, vel brachia fuerint abscissa, isque posteà adducta cicatrice sanus alijs membris euaserit; Huic sanguis, qui partes illas abscissas nutrire debebat, non nè, cum superabundans sit, nocumentum aliquod corpori afferet?* cui tamèn difficili quæsito sic respondisti: *nec tali casu superabundare sanguinem, nec vllum nocumentum corpori afferre. Natura enim* (dicebas) *de sanguine illo, quo nutriri deberant partes illæ diuulsæ, maiorem efficit consumptionem, & de illius superabundantia maiùs efficit dispendium &c.* quæ sanè responsio præfatæ difficultati satisfacit. Natura enim, proùt necessitas exigit, operatur, vt inductione manifestissimum est. Quod si de sanguinis superabundantia in casu illo maiùs dispendium non fit, aut natura maiorem perspirationem, aliamuè sensibilem euacuationem promouere non assuescit, alterutrum necessariò fateri opportet,

portet, aut scilicet minùs pabuli admittere sanguinem, aut in vasis ipsum superabundare, quę omnia profectò possibilia sunt.

Duo etiàm satis curiosa commenta obijcis contra Galenistas metuentes rarescentiam sanguinis vitiosam, pro qua arcenda venæ sectionem instituunt. *Solet quidem* (inquis) *in ardentibus febribus, ac erisipelate sanguis plùs iuxtò rarescere, sed inanis est rupturæ vasorum formido; Nunquam enìm ipsis contigit postrema tensio, cum sint valdè extensilia; Neque sanguis in vasis, vita superstite, extremum raritatis attingit, cum per poros cutis, & meatus particulæ eius elasticæ auolent; Quarè non crudeli impetu, & ruptura in vasorum claustra deseuiunt &c. Viuum enìm corpus vndique perspirabile est; ideòque à tot fermentationibus, & rarescentijs nullus tumor metuendus*; Sed profectò miror te, qui alioquìn venæ sectionem adeò reformidas, vbi timoris vanitatem totius mundi experientia manifestam facit, non timere tamèn vbi maximè est occasio timendi. Non nè sanguinis rarescentia nimia quandoque in ardentibus febribus vasorum capillarium tunicas ità distendit, aut disrumpit, vt inflammationem, ac tumorem alicubi producat? Non nè hac eadem

Pag. 238.

dem de causa distentis nimium, atque ità distractis pulmonum vasis, vt vessiculas eorumdem pulmonum improbè premant, dispnæam fieri vidisti? aut alias pressiones improbas, & morbosas alibi per nimiam sanguinis rarescentiam fieri? Time ergo quæ timenda sunt, & inanis timoris species, vbi timendum non est, euanescat.

Alterum commentum, quod affers, satìs profectò curiosum est; Nàm inquis: *neque ijs, qui cibo, & potui indulgent, facilè esse plethoram vitiosam; saburratus enìm ventriculus deflectit ab officio suo: Hinc ob Chili defectum massa sanguinea non instauratur, vt continuus est partium nutricatus; Iugitèr namque consumitur succus nutritius, ac sanguinis tandèm moles imminuitur; igitur ijs, qui lautè vescuntur, difficilis plethora. Huic doctrinæ in oppositum se se agerit vetustas, quæ triplicem modum, triplicemque viuendi rationem dedit, plenam scilicèt, mediocrem, ac tenuem; sed perperàm, quia victum pleniorem plurima circunstant incommoda, vt dixi de saburrata ventriculi culina;* Quid autèm si valdè lauto cibo, & potui assuescant homines, etiam citrà sanitatis læsionem, vt re vera multos facere palam est, non nè com-

mentum

mentum istud tuum corruit? Quamobrèm optimè dicit Sualue à te relatus, *corpus vniuersæ mole intumescere*. Tu autèm gratis omninò, & sola fretus auctoritate tua contra ipsum hæc subdis. *Intumescit corpus non ob sanguinis pleonasmum, sed à colluuie serosa, vel humoribus rarescentibus; redduntur turgida vasa à sanguine fermentescente; fit tensum, & dolorificum à musculis, membranis, neruis, alijsque partibus conuulsione affectis*; Nàm rationes aliquas apparentes saltèm afferre debueras, quibus probare conareris non hæc à sanguinis quoque plethora fieri posse. Pag. 239.

Poterij verba multa, quæ integris paginis contrà plethoram citas, omittimus, vtpotè iàm à te identidem allata, simulque à nobis impugnata, cum præsertìm, nil aliud boni planè resonent, quam auctoritates Sacræ Scripturæ, Cornelij à Lapide, ac similia, quæ tuo primo capite congessisti, quæque nullam difficultatem produnt.

Tandèm redis ad Galeni doctrinam de plenitudine quoad vires, istamque iterùm fateris esse friuolum Galeni commentum. *Detur*, inquis, *sed non concedatur Galeno vires à sanguine distingui, adhùc suprà captum est huiusmodi* Pag. 241.

plenitudo, quæ vires, non vasorum capacitatem respiciat. Sunt, vt docet Galenus, qui se se graues, pigros, segnes, atque ægrè mobiles referant, quibus neque brachia, neque tibiæ, neque manus, neque partes aliæ pleniores videntur; Tu hæc phenomena malè à Galeno tribui asseris plenitudini quoad vires, subdisque, *huius sæculi magnates Philosophos, ac Medicos flocci ipsum habere: dicentes in eius libris vana, & ridicula inueniri, omissis necessarijs.* Ego equidèm te inter magnates huiusce sæculi (quantùm attinet ad Galenum, eiusque sectatores damnandos) primam sedem occupare puto: Nulli enìm secunda est huiusmodi tua hæc contumeliosa loquendi ratio. Sed quoniàm ex Sanctorij statica desumendam innuis *causam, cur se se graues, pigros, segnes, atque ægrè mobiles aliqui referant,* ego autèm in scriptis meis ad pathologiam pertinentibus iàm pridèm ostendere aggressus sum, per certam theorematum seriem, geometrarum more, plenitudinem quoad vires à Galeno inuentam, & impugnatam à Portio, ab imminuta etiam perspiratione pendere, meam quoque sententiam hac de re breuitèr proferam; Priùs autèm, opportuna digressione, subijciendam censeo seriem eorum, quæ conscripsi, vt quæ

aduersùs

aduersùs laudati viri ſententiam adnotaueram, clariùs pateant.

Digreſſio ad plenitudinis doctrinam neceſſaria, ſeù prodromus opuſculorum aliquot ad phyſiologiam, & pathologiam pertinentium.

„ QVæcumque olìm de ſanitate, ac mor-
„ bis conſcribere meditabar, me in pri-
„ morum phyſiologiæ fundamentorum
„ contemplationem rapiebant, neque inter va-
„ rias hypotheſes, quibus Auctores huiuſce ſæ-
„ culi præſertìm oblectantur, hanc, vel illam in-
„ diſcriminatìm ſeligere cogitabam, qua lucu-
„ brationes meas qualeſcumque aptè poſſem ex-
„ plicare, ſed, veritatem auidè inquirens, de cer-
„ titudine hypotheſeos valdè ſollicitus eram.
„ Fieri enìm nullatenùs poſſe rebar, vt, ſine cer-
„ titudine hypotheſeos phyſicæ, certi aliquid
„ circà naturalem, vel non naturalem ſtatum
„ hominis determinari poſſet; Cumque in exa-
„ men principiorum Renati Des Cartes incubue-
„ rim, neque ſolidis tamèn fundamentis phiſio-
„ logiam ſuam, vt vt valdè ingenioſam, præcla-
„ riſque luminibus refertam, inniti depræhen-

 derim,

„derim; commentaria verò Clarissimi Gassendi
„in Epicuri physiologiam non omninò ad pu-
„ram veritatis ideam comparata esse nouerim,
„atq; cæteras tandem Chimicorum hypotheses
„physicas ineptas omninò perspexerim, ea con-
„templatus sum principia physica, quæ publica
„magìs, quæque magìs certa veritatem sinè fu-
„co inquirentibus viderentur, quæque non mi-
„nùs antiquæ melioris notæ doctrinæ, quam
„recentiorum methodo demonstratiuę congrue-
„rent. Exindè enìm, vt monet Doctissimus
„Stenon, errores in re physica profluxisse reor,
„quod multi non distinxerint ea, quæ dubia es-
„sent, ab ijs, quæ certò determinari possent,
„quodque ad libidinem, quæ pulchra magìs,
„aut noua viderentur, amplexi fuerint. Qua-
„mobrèm, per certam Theorematum, & pro-
„blematum seriem, dissertationem conscripsi de
„primo rerum principio, corporis physici anali-
„sim methaphysicam institui, Aristotelis doctri-
„nam enucleaui, & coherentèr pro principijs
„naturam corpoream constituentibus assumpsi
„corpus, & ideam. De loco inani, tempore,
„infinito, & continuo, quæ ad motus cognitio-
„nem faciunt, deque ipso motu disserui, om-
„nesque motus species ad mutationem loci, vel

De solido intrà solidum nat. content.

figuræ

„ figuræ contuli; vacuum cum Ariſtotele, atque
„ Clariſs. Renato Des Cartes à phiſices contem-
„ platione reieci: Naturę abditam meditatio-
„ nem, pro rei veritate magìs, quam ſcribendi
„ libidine, conatus ſum explicare. Tùm corpo-
„ ris firmi, atque fluidi ideas (quę apprimè ad
„ corporis humani, fluidorumque ipſius cogni-
„ tionem perducunt) expoſui, motuumque le-
„ ges pręcipuas, & mechanices fundamenta con-
„ ſcripſi. Omniaque ad claram corporis phyſi-
„ ci, & motus localis ideam comparata ſunt.
„ Primum fluidum omnia permeans diuerſa
„ longè ratione, ac Renatus Des Cartes demon-
„ ſtraui; Quìn imò, vel contrà magni, atque
„ immortalis pręceptoris Borelli ſententiam, cō-
„ tinuum eſſe poſſe oſtendi. Cętera verò fluida
„ neceſſariò eſſe in particulas fluitando aptas
„ diuiſa, cum eodem celeberrimo pręceptore
„ Borello, ratus ſum.
„ Iam verò, quoniàm ſanguis corpus fluidum
„ eſt, multa liquidarum, & ſolidarum partium
„ varietate refertum, in opuſculo de ſanitate ip-
„ ſum breuitèr ad examen reuocaui, & ideò
„ non ſimplicitèr fluidum, vt ęther, aqua, &
„ huiuſmodi alia, ſed fluidum compreſſile appel-
„ laui, vt lac, cęteriquè animalium, & planta-

rum

„ rum ponè omnium latices, qui non exigua sui
„ portione solidas comprehendunt moleculas
„ diuersę indolis equidèm, sed aptè fluido
„ aqueo, atque ęthereo commixtas, ideòque
„ vnum quid fluidum constituentes; Analysim
„ eiusdem sanguinis (facem præbentibus Cla-
„ riss. Viris, qui hac de re disseruerunt) breui-
„ tèr meditatus sum; &, combustibilium parti-
„ cularum materiam, in valdè magna ad alias
„ particulas proportione, sanguini intrà vasa
„ fluenti mixtam esse noui. Tùm particularum
„ omnium sanguinis mixtionem perspecturus,
„ lemmata aliquot ex Hydrostaticis præmisi, vt
„ earumdem particularum grauitatem specificā
„ rimarer. Cum verò deprehenderim tàm in
„ solo albumine sanguinis, quod serum dicitur,
„ quàm in toto eiusdem aggregato, firmas
„ moleculas multigraues esse, nedùm subtiliori
„ substantiæ, sed ipsi parti aqueæ, operæ pre-
„ tium ratus sum attentè meditari, qua ratione
„ fieret, vt æquilibrium, quod ad bonam crasim,
„ & æquabilem fluendi rationem necessarium
„ est, in statu naturæ integro seruaretur; Tametsi
„ enìm validus cordis, & arteriarum motus suf-
„ ficiens videri possit ad vrgendum sanguinem
„ in magnos, atque etiam minusculos arteria-

rum

„rum canales, absque eo quòd partes omnes
„eiusdem æquilibres, & æquabili fluendi ratio-
„ne instructæ sint, neutiquàm tamèn percipio
„per minimas vasorum angustias, absque præ-
„fato æquilibrio sanguinem traijci posse, atque
„per venas præsertìm aptè refluere; præter quam
„quod naturalis, & recta crasis sanguinis, at-
„que etiam aliorum laticum ad animalia, &
„plantas pertinentium, absque consueta natu-
„ræ symmetria, & absque præfato æquilibrio
„stare posse non videtur.

„ Æquilibrium autèm particularum sangui-
„nis, vndè optima fluendi ratio pendet, in du-
„plicem tantummodò causam necessariò con-
„ferri posse ostendi. Nàm primo ex Hidrosta-
„tices legibus patet, quod si corpori specificè
„grauiori aqua, iungatur materies eidem aquæ
„minugrauis in ea proportione, vt compositum
„emergat, eamdem cum aqua grauitatem spe-
„cificam obtinens, istud ipsi aquæ futurum
„æquilibre; ideòq; à minima vi externa in hanc,
„vel illam partem impellendum fore, ac non
„minùs quam par aquæ moles, data spatij ca-
„pacitate, fluxurum; secundò patet etiam in-
„natare posse vbique in aqua particulas, cete-
„roquin multigraues, si in eas diuidantur mi-

nutias,

„ nutias, vt vis excessus grauitatis earumdem „ minor sit vi, qua particulæ aqueæ diuulsioni „ resistunt. Nec vlla vnquam excogitari po- „ test ratio alia, qua innatent, ęquiponderentquè „ fluidis, quę grauiora sunt ipsis in specie. Qui- „ bus positis, facilè est percipere sanguinis par- „ ticulas firmas, ęquilibres fieri fluidis, alteru- „ trà, vel vtraque ratione.

„ Quoniàm verò ad hoc maximè confert, imò „ apprimè necessaria est respiratio; vsus eiusdem, „ quantùm spectat ad pręfatum effectum, breui- „ tèr innuimus. Enìm verò aer est, qui mirabi- „ lem crasim liquidorum, ad animalia, & plan- „ tas pertinentium largitur; atque in hunc etiam „ finem natura huiusmodi miracula circumsito „ aeri exposuit. Clarissimus, & immortali ho- „ nore dignus Laurentius Bellini mirabiles res- „ pirationis vsus, vel in ipsis naturę primordijs, „ in ouo scilicet, rimatus est. Prodigia enìm „ detexit sapientiss. vir in aere obtusum oui an- „ gulum occupante; Tùm ostendit, liquidis, quę „ in pulmonem derriuantur, aerem pulmonis „ idem pręstare, *quod præstat aer folliculi in li-* „ *quidis ouum implentibus*, & quemadmodum „ ille illa mutat *in liquida primæ, & succedenti-* „ *bus formationibus apta*, ità aerem pulmonis

In opusculis ad Archibaldum Pitcarnium.

Prop. IX. pag. mihi 47.

mutare

„ *mutare ſanguinem refluum*, *&* *chilum in illa*
„ *liquida*, *quæ ſunt apta continuæ formationi*
„ *animalis*, *hoc eſt conſeruationi eiuſdem* ; *cum-*
„ *que hoc dicatur produci ſanguinem*, optimè
„ concludis *ſanguinem in pulmonibus per ad-*
„ *mixtionem aeris produci*.
„ Refert deindè celeberrimus vir prætioſas
„ Malpighij obſeruationes circà reſpirationis or-
„ gana in omni viuentium genere, plurimaque
„ in inſectis, & vel in ipſis plantis detecta, quę
„ mihi pridem meritiſſimus ille pręceptor innue-
„ rat oretenùs Bononię, antequam publicata eſ-
„ ſet plantarũ anatomes; Obſtupebã tùnc profe-
„ ctò aſpiciens incomparabilem virum ; ac mihi
„ quoque obuerſabatur animo, *quiddam huma-*
„ *no maius* (vt verbis vtar Doctiſs. pręceptoris
„ Bellini) dùm admirabilem canalium aeris diſ-
„ poſitionem per omnes plantarum partes illę
„ me humaniſſimè docebat. Quod verò ad rem
„ noſtram pertinet hiſce generatìm tantummo-
„ dò præmiſſis, quæ præfati Auctores fusè pro-
„ ſequuntur, diù cogitaui aerem, vel quid in aere
„ latens, admirabilem quoque fluendi vim latici
„ plantarum, è radicibus vſque ad altitudinem
„ abietis, exempli gratia, aſcendentis, nedùm
„ humano ſanguini largiri. Doctiſſimi Borelli

De mot. anim. p. 2. prop. CVIII. & prop. 50.

„ censuram contrà Malphigium exaratam, qui „ respirationis ope sanguinis massam probè mi- „ sceri ratus est, adnotaui; & ostendere conatus „ sum vasorum pulmonarium angustias non ob- „ stare, quo minùs, sanguinis, Chili, & limphæ „ particulæ, respirationis ope, crasim, ac mixtio- „ nem suam aquirant, & intestino motu, etiam „ vertiginoso, ad probam mixtionem necessa- „ rio, agitentur. Videtur enìm Clariss. Borel- „ lus huic doctrinę contradicens, tantā suppone- „ re pręfatorum vasorum angustiam, vt ne qui- „ dèm intestino motui particularum sanguinis,

Prop. 30.

„ aut (si mauis) naturali fermentationi eiusdem „ (quam cæteroquìn admittit) locum prębeat. „ Propositionem verò meam Borello contrariam „ clarè deduxi, ex eo quòd, amplitudinis cana- „ lium, vt vt minimorum ad amplitudinem eo- „ rumdem pororum in tunicis, proportio valdè „ magna sit, ideòque magnitudo particularum „ sanguinis (quas e poris horum vasorum, per „ diapidisim, aut per suctum, exilire posse pa- „ tet) ad amplitudinem eorundem canalium val- „ dè exiguam proportionem habeant, ac proindè „ minutæ ipsę particulę sanguinis, in vnoquo- „ que mollium canalium illorum fluentes, assi- „ milari possunt granis millij in sacculo oblōgo

non

„ non exactè repleto contentis, in quo varijs, &
„ vertiginosis motibus moueri posse manifestum
„ est. Itaque perspexi vasorum angustias huic
„ aeris officio non obstare. Quin imò, vel in
„ ipsis perexiguis insectis, quibus admirabilis,
„ & sensum omnem fugiens vasorum tenuitas
„ donata est, hanc etiam aeris actionem in liqui-
„ da contemplari subest.

„ Non ausus sum determinare, an nè particu-
„ lę illæ, quæ ab aere in sanguinem deriuantur,
„ nitri naturam sapiant, vt recentiores nonnulli
„ exemplis suadere conati sunt, assensum tuum,
„ & aliorum promeriti; Hæc enìm positio, quam-
„ uìs ingeniosa, & plausu digna sit, non est ex
„ ijs, quæ certò determinari possint; Neque rur-
„ sùs determinaui eandem ob causam, an nè ma-
„ chinulæ illæ spirales aeris, iuxtà placitum Do-
„ ctiss. Borelli, sanguinem subeant; sed illum co-
„ gitaui tantummodò necessarium valdè vsum
„ rectę sanguinis craseos constituendæ, vt aptè,
„ & ęquabili motu per angustias vasorum hic
„ fluere posset, etiam in insectis perexiguis.

„ Et, quoniàm sunt in aere fluida tenuissima
„ huic muneri pręstando idonea, si fortè in san-
„ guinem aptè penetrent, hisce fluidis hoc mu-
„ nus deberi sum ratus, pręsertìm verò ętheri,

„ siuè substantię illi vbique diffusę, qua lux, &
„ lumen constituitur, siuè igni, quem Hippocra-
„ tes, & Stoici per omnia diffusum contemplati
„ sunt, aut, (quod idem est,) calori animali,
„ quem Aristoteles in vniuerso inesse docuit,
„ cum enìm substantia huiusmodi omnia prope-
„ modùm permeans necessariò constet (hoc de
„ nomine) particulis ad fluendum maximè ido-
„ neis, & probabilitèr sphæricis, fieri omninò
„ non potest, vt si liquidum quodlibet quamuis
„ compressile vndèquaquè permeet, ipsum
„ non reddant aptum ad fluendum per minimo-
„ rum canalium angustias. Contrà verò com-
„ pressile fluidum per hasce angustias traijci om-
„ ninò non potest, nisi lubrica interspiret ipsum
„ substantia huiusmodi, quæ particulas tenuio-
„ res à mutua cohesione liberet, atrenuetque
„ quantum exigit idea fluidi, & vasorum, per
„ quæ traijci debet, ratio.
„ Huic etiam tenuissimo fluido, sanguinem
„ aptè permeanti, tribuendum esse munus ex-
„ citandi caloris vitalis ex refluo sanguine, atque
„ particulis chili mixtis, facilè ostendi potest.
„ Diapneustiam verò ab eodem subtili fluido
„ promoueri, adeò perspicuum est, vt sine ipso
„ clarè intelligi non possit; Effluuia enim, quæ
gene-

„ generatim à quolibet liquido perſpirant, ma-
„ gna ex parte mobiliſſima huiuſmodi natura
„ conſtant, ac reliqua perſpirando idonea, mo-
„ tu eiuſdem in perſpirationis motum rapiun-
„ tur.

„ His itaque ex phyſiologia delibatis, clariùs
„ doctrina plenitudinis à Galeno tradita percipi
„ poterit, atque liberari à difficultatibus erudi-
„ tiſs. Portij, quibus tu opinionem tuam de ple-
„ thora, ne mutatis equidèm verbis, conſtitui-
„ ſti. In primis enim palam eſt exceſſu non
„ minùs, quam defectu deflectere poſſe ſangui-
„ nem à ſymmetria, & ab idea ſtatus integri ani-
„ malis; Nam, ſalubris copia eiuſdem liquoris,
„ illa eſt, quę ſufficit ad alimentum, & vitalem
„ calorem per omnia membra diffundendum, ad
„ materiam ſpirituum cerebro ſuppeditandam,
„ ac demùm ad vaſa, nullis interceptis inanibus
„ ſpatijs, liberè percurrenda, vt alibi etiam fusè
„ demonſtrauimus. Quamobrèm, ſi copia ſan-
„ guinis ab harum neceſſitatum ratione defficiat,
„ ipſamue excedat, ſtatum animalis non natu-
„ ralem, & inſalubrem fieri neceſsè eſt.

„ Exceſſus verò huiuſmodi bifariam contin-
„ gere poteſt; primò ſcilicèt cum vaſa nimium
„ replentur, itaut, pręter ideam naturę diſtenta,
preſ-

„ pressiones nimias exerceant, morbosque va-
„ rios, hac de causa, nec non inflammationes,
„ aut etiam disruptiones minentur. Secundò
„ cum, citrà improbam vasorum distractionem,
„ conferta, & constipata nimis constituitur, qua-
„ uis de causa, tota sanguinis massa, itàut motus
„ ipsius necessarij vitientur. Atque hęc, est ple-
„ nitudo ad vires à Galeno tradita, quam Por-
„ tius à te relatus reijcere conatur.

De sanguinis missione Dialogo pri. pag. 49. & seq.

„ Videamus modo quid ponderis habeant eru-
„ ditissimi viri argumenta. *Quæ comparantur*
„ (inquit ille) *debent esse eiusdem speciei. Mo-*
„ *tus motui, siuè vires viribus; superficies super-*
„ *ficiei, magnitudo trinè dimensa, corpori, &*
„ *sanguinis quantitas capacitati vasorum rectè*
„ *comparantur. Tu verò* (ità contrà Galenum
„ obijcit) *sanguinis molem, siuè quantitatem,*
„ *corpus scilicet trinè dimensum viribus compa-*
„ *ras &c.* Tùm subdit, *vel præterea mihi vide-*
„ *ris Galene accipere sanguinem veluti plum-*
„ *bum, à cuius pondere viginti circitèr librarum,*
„ *robusti, & beneualentis hominis vires non op-*
„ *primantur, valetudinarij verò opprimantur;*
„ *vt expediat à sanguine veluti à plumbo ali-*
„ *quid detrahere, vt infirmi hominis vires à pon-*
„ *dere, & à sarcina leuentur, ac, qui mittendi*
sangui-

» *sanguinis indicationem pluries sumendam du-*
» *xeris à virium constantia, nùnc eandem su-*
» *mendam præcipis à virium infirmitate; cum*
» *se se graues, pigros, & ægrè mobiles sentiunt*
» *ægroti, &c.* paucisque interiectis subdit. *San-*
» *guis non est veluti corpus graue extrinsecum*
» *homini, & nihil pertinens ad hominem, à quo*
» *si magìs, atque magìs detrahas, magìs, ac ma-*
» *gìs leuabitur homo, &c.* Quoniàm minùs, at-
» que minùs grauabitur à minore, atque minore
» extrinseci plumbi pondere. *Sanguis est quid*
» *intrinsecum homini, est quid pertinens ad ho-*
» *minem, & vires corporis nequaquam sunt in-*
» *dependentes à sanguine.*

» Rectè quidèm hęc omnia procederent, si ve-
» rum esset, quod supponere videtur eruditiss. vir:
» corporis vires ità dependere à sanguine, vel
» tanta necessitudine cum ipso iunctas esse, vt
» incremento, atque decremento eiusdem ne-
» cessariò proportione respondeant: At verò *Lib. de plenitud.*
» meliùs docuit Galenus *neque ex incremento,*
» *neque ex sanguinis decremento vires necessariò*
» *augeri, vel minui,* dummodò hęc doctrina
» ità percipiatur, vt incrementum, aut decremen-
» tum fines ab idea naturę constitutos non prę-
» tereant. Enim verò, vt ex superiùs adnotatis

con-

„ constat, vires, non ex sola sanguinis substantia,
„ & quantitate vtcumque congesta in vasis, de-
„ pendent, sed ex ea eiusdem substantia, & quan-
„ titate proficiscuntur, quæ non obstet permeanti
„ vndèquaquè fluido æthereo, ad exerendas vi-
„ res, caloremque vitalem excitandum, tantope-
„ rè necessario. Cùm etenìm sanguis fluidum
„ compressile sit, vtpotè particulis multis con-
„ stans ad mutuam cohesionem aptis, & compa-
„ ratis, cur non potest contingere, vt ijsdem
„ conferta sit sanguinis massa, etiam citrà ni-
„ miam vasorum distractionem, si minùs occu-
„ pent spatij, aut quod idem est, densentur ma-
„ gìs? Et quare hoc de nomine permeanti æthe-
„ ri, resistere non potest, atque officere quo mi-
„ nùs inspiratum istud fluidum necessitates præ-
„ fatas impleat, prout idea benè valentis homi-
„ nis exigit? Profectò, cum ità se res habere fa-
„ cilè possit, vt manifestissimum cuilibet atten-
„ tè consideranti fit, fallax omninò depræhendi-
„ tur eruditissimi viri argumentum. Rectè enìm
„ à Galeno comparatur viribus conferta huius-
„ modi sanguinis quantitas, quatenùs hoc de no-
„ mine motibus resistit ad exerendas vires neces-
„ sarijs; estque hæc comparatio veluti momenti
„ resistentiæ ad motum subtilis illius substantiæ,
quæ

„ quæ necessariò ab aere pulmonum in sangui-
„ nis penetralia profluit, vitalem sanguinem red-
„ dens; & quoniàm in huiusmodi casibus, de-
„ tracta sanguinis portione per venæ sectionem,
„ huic improbæ resistentię necessariò medemur,
„ vt re ipsa liquet, atque ex superiùs dictis con-
„ stat, falsas omninò esse patet Erasitrati, atque
„ Helmontij apud eruditissimum virum positio-
„ nes contrà Galeni doctrinam, tot sæculorum
„ experimentis comprobatam.

„ Neque vllius momenti est obiectio alia, qua
„ inconstantiam videtur affingere Galeno, nùnc
„ à virium robore, nùnc ab infirmitate earum-
„ dem desumenti iudicationem mittendi sangui-
„ nis; Nàm virium infirmitas, in hisce casibus,
„ ab oppressione, vel grauamine dependet, iuxtà
„ præfatam doctrinam à tot celeberrimis viris
„ omni sæculo comprobatam; ideòque, cum
„ vires necessario leuentur detracta oppressionis
„ causa, per indè res se habet, ac si vires con-
„ stantes venæ sectionem expostulent.

„ Atque hæc manifestam faciunt Galeni do- *Lib. de curat. rat. per sãg. miss.*
„ ctrinam, qui alibi calorem naturalem, seù vi-
„ res comparat igni, & sanguinem lignis, siuè
„ viridibus, siuè siccis; clarè docens, quemad-
„ modùm in lignis comburi idoneis perseuerat

„ duratque qui in foco eſt ignis, ità in ſanguine
„ benè habente, nec nimis conferto, calorem
„ naturalem conſiſtere; Et vt exiguus ignis obrui-
„ tur, congeſtis in eum lignis, quantùmuis ad
„ comburendum idoneis, ità calorem, ſpiritus,
„ & vires naturæ obrui à nimia ſanguinis copia,
„ ſcilicèt (vt interpretor) à ſanguine particulas
„ confertìm nimis congeſtas habente, ac perſpi-
„ rantem æthera, vt par eſt non admittente, cuius
„ profectò motus in primis conſiderandus erat
„ ab eruditiſs. Portio dicente vires, & robur, ſiuè,
Pag. 57. „ quem dicit Galenus, calorem naturalem *conſi-*
„ *ſtere in motibus liquidarum ſubſtantiarum*,
„ *quotcumque illæ ſint*, *&c quocumque nomine*
„ *apellentur &c.* ſi enìm hæc laudatus vir ani-
„ maduertiſſet, Galeno potiùs, quam Eraſitrato,
„ aut Helmontio fautorem ſe præſtitiſſet.

Sed, vt ad noſtram diſputationem redeamus, in examen reuocandæ ſunt cauſę plenitudinis, quę vires reſpicit. Tu enìm potiſſimam ex Sanctorio indicaſti, ad quam cum pridèm Galenus reſpexiſſet, non videtur tanta conuicia tua mereri. Omnes cauſę plenitudiuis ad tria ſumma capita neceſſariò reducuntur, aut enìm plenitudo fit, quia ſupprimuntur, quę decedere debent particulę, aut quià deriuatus in ſanguinem Chilus, pro-

proportioné maioris inęqualitatis habet ad omnes, quæ decedunt à ſanguine partes, aut demùm quia vtrumque contingit. Neceſſariò quippè, hiſce poſitis, conſequitur aucta ſanguinis quantitas, vel vaſa diſtendens, vel ſaltèm, intrà eumdem perimetrum contento ſanguini, confertiores particulas congerens, vt ſuperiùs clarè adnotauimus.

Tu ex Sanctorij ſtatica deſumis cauſam: cur ſe ſe graues, pigros, ſegnes atque ægrè mobiles referunt, quos Galenus plenitudine opprimente vires laborare docuerat. Quid autèm aliud Clariſs. Sanctorius præſtitit, quam Galeni doctrinam de prohibita tranſpiratione, vtilibus experimentis, dilucidare? Quid aliud tu ipſe refers ex Sanctorij ſtatica medicina, niſi quod prohibita ſanguinis perſpiratione, quantitas eiuſdem neceſſariò augeatur? Profectò in diſſertationibus meis, quas innui, ad pathologiam pertinentibus, demonſtraui plenitudinem ad vires, aut à prohibita perſpiratione produci, aut, ſiquidèm ab alijs etiam cauſis, fiat, neceſſario cum illa coniungi, ſi æqualis Chili copia in ſanguinem deriuatur.

Idque omninò manifeſtum eſt; Effluuia etenim, quæ alioquin deceſſura erant ex ſanguine, ſi retineantur, eodemque tempore con-

ſueta Chili copia in ſanguinem deriuetur, neceſſariò loculi replebuntur, quos alioquìn perſpirans æther occupaſſet; cumque in hoc plenitudinem ad vires conſiſtere pateat ex nuper exaratis aduersùs Portium, nulla vlteriùs demonſtratione res indiget. Quod ſi ab alia cauſa ponatur fieri huiuſmodi plenitudo (quum vires obruantur expoſita ratione) manifeſtum etiam eſt cum hac eadem neceſſariò prohibitam tranſpirationem coniungi. Si enìm proba fieret tranſpiratio, non impediretur motus ætheris in penetralia ſanguinis. Vide igitur quam inanibus conuicijs Galeni doctrinam carpis, non re, ſed verbis tantummodò à doctrina Sanctorij diſcriminatam, ſed alia iàm, quæ contrà ſanguinis miſſionem attuliſti, expendamus.

COROLLARIVM.

QVæcumque hallucinatio, & confuſio, & fallacia paralogiſmis aduerſariorum obtruſa facilè ſoluitur ex ſuperioribus; cum enìm vulgus reformidet læſionem virium in venæ ſectionibus, hìnc facilè ipſi imponunt aduerſarij, qui nihil aliud inculcant niſi ſanguinis miſſionem vires eneruare, corpuſq; euidentèr

tèr debilitare, & alia huiusmodi speciosa verba. Ex dictis autèm superiùs in digressione nostra manifestè constat: vires quantitati sanguinis, non esse necessariò proportionales, siuè, vt Galenus dixerat, neque ex sanguinis incremento, neque ex decremento vires necessariò augeri, vel minui; sed re vera dari, imò plerumque contingere in morbis plenitudinem sanguinis opprimentem vires, vt ex Sanctorij experimentis etiam constat; ideòque in hisce casibus patet luculentèr, missione sanguinis congrua, nè dùm non lædi vires, sed augeri, vel, quod idem est, ab oppressione liberari.

CAP. XIV.

In quo expenduntur rationes, quibus Dominicus la Scala demonstrare aggreditur, *Inflammationem per immanes venarum apertiones non curari.*

OCculta profectò, & planè noua profers, dùm inquis, *per truculentas venæ sectiones augeri inflammationem, & ægrotum festinanter ad sepulcrum, vel ad imminens vitæ periculum duci.* Sed videamus argumenta tua, quibus Pag. 243.

bus fretus rem admirabilem, & inauditam pronuncias. *Hoc patet* (inquis) *vnicuique à præiudicijs Galenicis libero nullum tumorem fieri per fluxum qua talem, vtpotè naturalem, sed omnem tumorem per congestionem fieri. Sit postulati loco,* (subdis) *sanguinis circuitus: certum est quando sanguinis, lymphæ, succi neruei, chili, aliorumque humorum fluxus, aliqua ex parte impeditur propter obstructionem, ob quam sanguis, & prædicti humores aliqua ex parte congenerantur alicubi, & accumulantur, euidentissimè sequi per venam sectam sanguinis subtiliorem, ac volatiliorem portionem educi, crassiorem remanere, quæ, dùm circulatur, obstructionem pereptat, eique accumulatur; Quare aucta obstructione, fit in alijs vasis compressio; Hinc augetur tumor, idest humorum fluxus in prædictis vasis stagnat, ac impeditur.*

Profectò nouam propositionem tuam demonstraturus more Geometrarum postulata præmittis, & postulatum nos æquidem concedimus, sed vim demonstrationis, quam promisseras, nondùm in allato contextu cognouimus. Quin imò falsam esse superiùs ostendimus, ac vel ex tuis verbis, tibi ipsi contradicentibus, deduximus. Euidentissimum esse supponis, per venam sectam:

Cap. 3. *Paragr.* 12.

san-

ſanguinis ſubtiliorem, ac volatiliorem portionem educi, craſſiorem remanere, quæ obſtructionem, inflammationemque adaugeat; Quomodò ſanguis, cæteroquìn æquabilitèr fluens per minimas vaſorum propagines, facto per venæ ſectionem emiſſario, longè magìs amplo, quam ſit minimorum vaſorum capacitas, inæqualitèr fluet? Qua neceſſitate craſſiores particulæ ſanguinis, dùm liberè ille per emiſſarium efluit, intrà venas retinentur? Profectò, ſi verùm hoc eſſet, quod euidentiſſimum tu eſſe ſomnias, Seneca Neronis iuſſu moriens non effudiſſet æqualitèr, & promiſcuè ſanguinem, nam per emiſſaria vaſorum ſubtilior tantum, & volatilior portio educta fuiſſet, non totus ſanguis. Sed ſi adeò intrepidè hanc euidentiam, ignaris venditare volueras, cur anteà dixiſti: poſt venæ ſectionem, *remanere ſanguinem in vaſis eadem proportione impurum, vt priùs?* Non nè vides, vel te ipſo Iudice, falſiſſimum eſſe quod euidentiſſimum gratis pronuncias? Eruditiſs. quoque Portius contrà hanc nudam animaduerſionem tuam inquit. *Dùm ſanguinis, aut aliarum ſubſtantiarum ſemper cordis motu in circulum actarum, ſecto vaſe, aliquid detrahitur, id, quod supereſt in vaſe, omninò remanere quale priùs fuerat.*

Pag. 230. in fine.

De ſang. miſs. pa. mihi 27.

Supereſt

Supereſt equidèm poſt eductum ſanguinem aucta velocitas, qua mutatur in meliùs quod in vaſis remanet, quod tamèn educitur, ſecundum eandem ſubſtantiarum componentium rationem educitur. Idque ſanè euidentiſſimum eſt, ex legibus fluidorum, nec vlli dubium eſſe poteſt, ideòque tu euidentiſſimè falſum pronunciaſti. Quoniàm verò, vt identidem oſtendimus, emiſſo ſanguine, augetur neceſſariò in remanente velocitas, hinc facilè fit, vt, quod ſtagnat in vaſis, obſtructionem, atque inflammationem conſtituens, velociore motu ſanguinis totius vrgeatur prorsùm, & à diſtenta parte dimoueatur. Præterquam quod, ſi tantum ſanguinis detrahatur, quantum res exigit abſque virium læſione, vaſa faciliùs contrahuntur imminuta reſiſtentia, eodemque de nomine ſtagnantis ſanguinis dimotio ſequitur, ac tutò curatur inflammatio. En igitur quid valeat inuerſa ratio tua, & attentiùs reſpice an nè qui Galeni, aliorumque doctrinam hiſce comentationibus tuis flocciſeceris, maturum magìs iudicium ſis prolaturus; Reliqua verò iàm expendamus argumenta.

Secundò, inquis, *inflammatio eſt tumor, cuius mutationes ſunt celeres: Hæ eius eſſentiam conſtituunt. Rubor, febris, & dolor maximè pul-*

ſatilis

ſatilis, vel ſunt effectus, vel cauſæ tumoris, hic etiã ſi rubeat, nõ dicitur inflãmatio, ſi mutationibus careat; has dicimus reſolutiones, ſuppurationes, diſruptiones, humorũ effuſiones è vaſis: ſeparationes, et quod peregrinũ eſt, gangrena, ſphacelus, aliæq; ſimiles dicuntur. Dolor nõ eſt de inflammationis eſſentia: ſunt quædam inflammationes, quæ à Medicis occultæ appellantur, abſque dolore, patientes diuexantes, & ſunt peripneumoniæ, pleræque pleuritides. Febris eſt effectus tumoris celeris motus, quæ interdùm non percipitur: ſunt ergò febris, & dolor ſymptomata ſeparabilia à tumore celeris mutationis; Hic procreatur quandò aliquid reſtagnat, ſcilicèt alicubi eſt infixum, eſtque in vaſe aliquo, vel meatu, vel infundibulo, vel inter fibras alicuius partis eſt coactum, aut alitèr ipſi adhæret, & ſic morbum procreat.

Quid indè, aut quid in hoc integro paragrapho tuo eſt, quod venæ ſectionem reprobare poſſit? Enìmverò quià inflammatio tumor eſt, cuius mutationes ſunt celeres, & cuius ſymptomata ſunt febris, dolor, &c. citò Medici expoſcit auxilium, ideòquè citò ad tutiſſimam venæ ſectionis opem prudens Medicus confugere debet, nè ſuppurationes improbæ, aut fatales diſruptiones, humorumque effuſiones in internis

inflammationibus contingant, ſed res ſecuriùs comparetur. Ad reliqua.

In tumore, ſubdis, *tùnc fiunt celeres mutationes, quæ conſtituunt inflammationem, quandò ex fluido in vaſis ſuis valdè diſtentis, partibuſuè quibuſuis alijs ſtagnante, mox euaneſcere incipiunt partes fugitiuæ, tùm acidas, tùm alteriùs generis, temperare ſolitæ. Vndè acriores redditæ in ſe mutuò inſurgunt, fermentationemque calidam, ob partes fluidi oleoſas præſentes, excitant: Quin paulatim fluidum ità alterant, vt in pus vertatur, & quidèm pro fluidi corrupti varietate planè vitium erit.* Proſequeris autèm.

Pag. 245. *Per fluidum non intelligo illam partem ſanguinis rubram (hæc enìm inalterabilis eſt, in pus minimè conuertibilis, vt demonſtrat famigeratiſs. Entius) ſed albam, ſeù ſerum concreſcibile, quod prædictis alterationibus obnoxium eſt. In inflammatione eſt trombus, ſeù pars rubra inalterata, & coagulata ob ſpirituum fundentium volatum; eſt pars alba fermenteſcens celerum mutationum cauſa, neutra à phlebotomia amouibilis: Illa, quia non eſt fluxui parata, nam fluxibilitatem amiſſit; hæc quamuìs fluida ob fermentationem ab obſtructione eſt impedita, & cum reliquo ſanguine non circulatur:* Curatio

igitur regia per fundentia trombum, & obſtructionem eſt abſoluenda, qualia ſunt acidum concentrantia, tùm fixa, tùm volatilia.

Multa profectò dicis, ſed nihil aptè: In primis enìm mutuatam aliorum Hypotheſim explicaturus, cauſam afferre debueras cur euolatis partibus fugitiuis, aliæ partes tùm acidæ, tùm alterius generis in ſe mutuo inſurgant? quo motore ad fermentationem excitandam compellantur? Interpellant alij (à quibus hypotheſim non integrè mutuatus es) fluidum ſubtile Renati des Cartes, ſed illius hypotheſis non eſt publica: de hiſce non eſt hic diſceptandi locus, nec hypotheſim à te aſſumptam reijcere neceſsè eſt, cum nihil obſtet venæ ſectioni; ſatìs eſt innuiſſe breuitèr dictis te magìs, quàm rationibus abundare. Quomodò autèm hæc dicta tua venæ ſectioni refragantur, cum hæc ſuppurationes improbas prohibere, atque optatas reſolutiones, citò adminiſtrata, promouere poſſit? *Tuus iſte trombus eſt pars alba* in inflammationibus, quæ nondùm ad ſuppurationem tendunt, ſecta vena circà morbi initium, & educta ſufficiente ſanguinis quantitate, magna ex parte in fluxum vrgeri poteſt per directiones canalium, imminuta reſiſtentia, & aucta tùm ſanguinis velocitate, tùm vaſorum

contractilium vi, vt identidèm ostendimus. Re autèm ità comparata, spes est fore vt reliquum, quod è vasis distentis dimoueri sola missione sanguinis non potuit, ad resolutionem pertendat, vel saltèm non in tantum vitæ discrimen suppuratione sua ægrum perducat. Tu curationem laudas, *per fundentia trombum, & obstructionem, qualia sunt acidum concentrantia tùm fixa, tùm volatilia*. Ista verò fiducia tua, quam eiusmodi prȩstas medicaminibus, mihi videtur simillima magnȩ illi confidentiȩ, qua te demonstraturum pollicitus es inflammationes per venæ sectionem non curari. Nos verò in prȩcipiti morbo confidere non debemus remedijs, quȩ vel spem nostram fallant, vel tardè saltèm, minusque efficacitèr operentur.

Doctrinam Helmontij adducis, qui curationem pleuritidis per venȩ sectionem improbat, nam, vt inquis cum ipso, *pleuritidis essentia non*
Pag. 245. *consistit in inflammatione; hæc enìm est symptomatica, & quid posteriùs concomitans pleuritidis essentiam, seù radicem*, quam Helmontius constituit in *aciditate peregrina* archeum molestante, veluti infixa spina, &c.

In hoc autèm obseruo in primis tacitam prȩfatis verbis tuis contradictionem, nam qui ne

inflammationes quidèm venę sectione curari dixeris, modò cum Helmontio sanguinis missionem in pleuritide reprobas, eo quia in inflammatione pleuritis non consistat; Quasi dicens venę sectione curandam fore, si consisteret in inflammatione; sed vlteriùs data etiam Helmontio *aciditate* ista peregrina, quę spinę ad instar fibris affixa sit, ostendere adhùc possumus venę sectionem, vel contra hanc causam opitulari. Cum enìm fluidorum omnium nostri corporis motus sibi vicissim respondeant, ac, detracta opportuna sanguinis quantitate, faciliùs fibræ omnes contractiles in suas veniant contractiones, manifestum est etiam, hoc de nomine, id quod fibris affixum erat, velut spina, faciliùs emisso sanguine dimotum iri.

Quod verò subdis, te fælicem in praxi doctrinam Helmontij expertum fuisse, in fine huius libri ad examen reuocabimus, & ostendemus quàm facilè tu ipse, & alij decipi potuerint in proprijs etiam obseruationibus. Intereà Helmontij verba afferamus, vt sola eorum lectione mendacium pateat, *Ego sanè* (inquit) *nemini pleuritico sanguinem mitto, estque curatio eius modi tuta, certa, commoda, & solida, nemò illorum perit, vbi interim sub phlebotomo plures* *Pag. 246.*

longa tabe pereunt, & quotannis recidiuam experiuntur; Iuxtà Gale: enìm quicumque die quadragesimo non sunt perfectè sanati, tabidi fiunt; Ego veeò intrà paucos dies perfectè sano, nec recidiuam sentiunt. Nec quidem solus ab hoc mea arcana habeo: Quinimò vidi Rusticum omnes pleuriticos tertio potu sanantem; vtebatur enìm stercore iumenti, pro viro, & caballi pro muliere, quod diluebat in ceruisia, ac colaturam expressam propinabat. Tanta scilicet est Medentum ignorantia, tantaque scholarum pertinacia; Quod Deus rusticis, & paruulis dat scientiam, quam ethnica littera inflatis deneget. Eia itaque vos, qui pleuritide tentamini, ad iumenti, & caballi arcana properate, & iumenti quidem, si viri estis, arcanum seligite, caballi si fæminæ, vt ritè curatio vestra instituatur, cum nemò illorum perierit, quibus *tuta, certa, & commoda eiusmodi curatio administrata sit.*

Occulta hæc remedia, quæ pandis, auctoritate confirmas *neruosi*, vt inquis, Tachenij, cuius etiam contextum à te relatum adnotare placet. *Hoc in casu* (inquit ille) *Veteres nostri indagarunt pleuritidis specifica remedia, stomaco familiarissima, & quæ abundant alcali volatili, quo acidum errans confestìm absumere possunt; ex il-*

lorum

lorum classe sunt sanguis hirci, succus cicorei syluestris, priapus cerui, vel tauri, semina carduorum, & similia; Subditque: *non omittendus spiritus vini saturatus camphora, & croci tinctura, cuius viginti plus minus guttis in vncijs duabus olei lini recentèr expressi datis, indubitatè sanantur omnes pleuritici, imò, & quos viz. animam iam iam expirare timebatur. Sunt qui etiam in syrupo papaueris eratici, vel oleo amigdalino proponunt, sed oleum lini spem nunquam fefellit, etiam viz. sanguine non euacuato. Camphora nimirùm est alcali volatile, quod statìm acidum putrefactiuum, & rodens absorbet, vt suo loco de camphora dicturus sum &c.* Hanc verò Tachenij mixturam, nec non magisterium, *Pag. 247.* cornucerui, spiritumque eiusdem, sal armoniacum, spiritum dulcem, spiritum fuliginis, hirci sanguinē, salem prunellæ, Lucij mandibulas, Cancrorum oculos, flores papaueris rubri, succum è soncho expressum, dentem apri, & similia, sale alcali prædita, vt inquis, fælicissimo cum successu identidèm expertus es, non tamèn asseris, vt præfati Auctores, neminem perijsse, *& omnes indubitatè sanatos fuisse, vel animam iam iam expiraturos.* De le Boè Syluij, nec non Iacobi Van Adden auctoritates affers, vt suadere

dere coneris pleuritidē eiusmodi remedijs absque venæ sectione curari posse. Nos verò hæc omnia opportunè administrata pręsidia non improbamus, quinimò vel ipsa Helmontij arcana fælici successu experti sumus. Non propterea tamèn ipsis adeò confidimus, vt quod omnis ætas tutissimum experta est remedium, quodque recta, & inconcussa dictat ratio, venæ sectionem scilicet, omittere minùs cautè audeamus; Neque enìm adhùc, inter tot congestas eruditiones tuas, demonstrationem vllam legimus, vt in fronte capitis promisseras.

Sed fortè propositionis tuæ nimis generalis te pænituit: qui enìm videbaris demonstraturus *inflammationem per immanes venarum apertiones non curari*, modo inquis *errorem esse in quacumque pleuritide venam secare*, atque diffusum Prosperi Martiani contextum refers, quo ille quandoque in pleuritide non conuenire sanguinis missionem iuxtà mentem Hippocratis asserit; Hippocratis verò mentem Galenus rectè interpraetatus est, quod scilicet venæ sectio omittenda sit in pleuritide miti, & omninò salutari, de qua etiam Hippocrates à Martiano relatus *pleuritides simul biliosæ, & sanguineæ, vt plurimùm nono, aut vndecimo iudicantur, & maximè*

Pag. 248.

Lib. coact. pronot.

mè salutares sunt. Quid autèm hæc doctrina officit quo minùs, vbi pleuritis non omninò salutaris futura est, venæ sectionem in principio indicet? salutares equidèm pleuritides possunt præfatis arcanis curari absque venæ sectione, imò etiam absque magniloquo apparatu arcanorum,& hæc est fallacis vestræ experientiæ causa; vbi verò prudens Medicus,magnitudine morbi circumspecta,veretur ne in vitæ discrimen ducendus sit æger, excusari ab impietate non potest, si tutissimum venæ sectionis remedium omittat.

Alios Hippocratis contextus affers, in quibus de sanguinis missione in pleuritide non meminit. Pleuritidis tres Hippocratem fecisse species commentaris; Quarum prima est,quæ ad infernas partes conuertitur, dolorem ad vessicam distribuens, multum, ac biliosum ægro mingente, atque hæc per diuretica ex præcepto Hippocratis curatur. Secunda species illa est, in qua *pars à rigore contracta fuit, & in ipsa irruit ad alas, & clauiculam, & humerum, & conuellit, & dolorem inducit*; cuius curationem meritò Hippocratem absoluere inquis per ea, quæ faciliorem reddunt sputi excretionem, cum superiora occupet pleuritis. Tertia tandèm, & vltima

Pag. 250. & 251.

ſpecies à te adnotata; ea eſt, quæ poſteriores partes magìs infeſtat *circà dorſum*, cuius curatio in refrigeratione videtur conſiſtere.

Quoniàm verò in omnibus inflammationibus internis Hippocrates alibi venam ſecandam eſſe docet, atque generatìm in aphoriſmis monuit, vt in principijs, ſi quid videatur mouendum, moueatur; Id quod Galenus tùm de ſanguinis miſſione, tùm de purgatione, maximè verò de ſanguinis miſſione intelligendum eſſe cõmentatur; mirum non eſt ſi Hippocrates vbique generalia præcepta circà venæ ſectionem in inflammationibus non repetat. In prima ſpecie pleuritidis à te poſita, quæ vrinam mouent, vtilia ſunt, quid autèm ad vrinæ euacuationem, ſicuti generatìm ad alias excretiones, magìs conducere poteſt, quam ſanguinis miſſio, vt alibi adnotauimus? In ſecunda ſpecie ſputum promouentia laudantur, miſſione verò ſanguinis in principijs celebrata promouetur anacatarſis eadem de cauſa. Quocircà Hippocrates lib. 1. de morbis: in peripneumonia, & pleuritide ſine ſputo, venam ſecandam eſſe expreſsè docet. In tertia tandèm ſpecie pleuritidis, refrigerantibus inſiſtendum eſt, vt inquis; Quid autèm refrigerare magìs poteſt, quam venæ ſectio?

Anaxionis

Anaxionis exemplum venæ sectionis ab Hippocrate præscriptę vtilitatem in pleuritide confirmare videtur, tu autèm noua planè animaduersione, ignaro, vt ais, vulgo ignota Hippocrati errorem affingis, eo quod Anaxion in deteriùs se habuerit *ob celebratam venæ sectionem*: afferamus Hippocratis contextum, & omissa vulgi medentum, quos *flocci* habes, opinione, commentaria tua noua expendamus. *Abderæ anaxion*, inquit Hippocrates, *in febrim acutam incidit; Dexteri lateris assiduus dolor eum cruciabat, tussim habebat aridam, neque primis diebus expuit, sitibundus erat, & insomnis, vrinæ boni coloris, multæ, & tenues, sexto die delirabat, & fotibus nihil remittebatur, septimò magìs laborabat, quippe febris magìs intendebatur, nec imminuebantur dolores, simulque tusses infestabant; Difficulter etiàm respirabat. Octauo cubitum secui, multum, vt debebat, effluebat, leniores ibi euaserunt dolores, sed tusses aridæ permanebant. Vndecimo febres fuerunt mitiores; aliquantùm circà caput sudauit, etiàm nùm tusses durabant, &, quæ à pulmonibus exibant, liquidiora erant. Decimo septimo cæpit pauca concreta expuere, & leuatus est. Vigesimo sudauit, febre liberatus est &c.* Hactenùs ille; tu autèm subdis. *Nil mirum*

Pag. 252.

 si pro

si pro venæ sectione leuiores euaserint dolores, ob sensum diminutum à spirituum iactura, seù sanguinis effusione causata, sed causa morbi facta est contumacior, & crudior, quin tusses aridæ permansere. Fuit Anaxion pristinæ sanitati restitutus ob febres (quibus ait Hippocrates plures curantur morbi), sudores anacatarsim, per vias vrinæ excretionis, nequaquam sanguinis missionem.

Perbellè profectò, sed breuis nimium est animaduersio hæc tua; Desiderarem etenim aliquid aliud, vt vltimam contextus tui propositionem probares. Abs re igitur, (vt opinaris), Hippocrates Anaxioni cubitum secuit, nàm curari poterat illius morbus febre ipsa. Ego tamèn vereor ne tusses aridæ, diutiùs perseuerante febre, permansuræ fuissent; sanguinis missione liberatus equidèm est à doloris vehementia ęger, sed hoc factum fuisse interpretaris à spirituum iactura ob euacuationem sanguinis, an nè dolor, qui sanguinis missione mitigatus fuit, spirituum copiam præstabat? sed non ferendus videtur Hippocratis error, qui cum multos nouerit morbos per febrem curari, sanguinis missionem nihilominùs Anaxioni præcepit, qua *febres mitiores factę fuerunt*; oppottebat enim febrem, qua mor-

bus

bus anaxionis, te iudice, curandus erat, augere, non minuere, vt citiùs ægrum liberare posset. Hanc animaduersionem tuam memoriæ mandent sectatores,

In doloribus lateris, qui, citrà notas veræ pleuritidis, contingunt, Hippocrates, à te relatus, & Galenus itidem sanguinis missionem non conuenire docent, imò quandòque nocere, vt Duretus etiam adnotat, si à catharri, potiùs, copia, quam orgasmo sanguinis fiant. Vtcumque se res habeat, nàm huiusmodi, & alia Dureti, ac Martiani commentaria suas quoque patiuntur difficultates, quamuis non sempèr spuria pleuritide laborantibus, quæ præsertìm spontè, vel mitioribus presidijs adhibitis in sanitatem est abitura, sanguinis missio perscribenda non sit; Quid indè possis deducere contrà rectum phlebotomiæ vsum, profectò non videmus.

In illa verò spuria pleuritide, quam Hippocrates purgatione curandam proponit, tutiùs venæ sectionem Galenus comendat, ipsumque Vallesius, & alij melioris notæ medentes iure meritò sequuntur, non obstante Martiani, atque Dureti opinione. De hisce autèm hic fusiùs dissercre, nec instituti ratio patitur, nec vllatenùs necessarium est, cum ex superiùs dictis necessariò deduci

Pag 255. de ratione victus in acutis.

deduci poſſit praxeos Galenicæ ſecuritas, cumque præſertìm, admiſſa etiàm in huiuſmodi caſu eorum doctrina, qui purgationem laudant, non proindè ſequatur in pleuritide legitima, vndè venæ ſectionis indicatio emergit, *damnandam fore phlebotomiam*.

Pag. 251. Regiones quaſdam prohibere venæ ſectionem, inquis, referentibus Cęlio, Aureliano, Martiano, atque Hollerio, pleuriticos quondàm, Romæ, & Athenis, venæ ſectione curatos, malè habuiſſe, quod vtraque regio auſtris obuerſa ſit. Contrà in Paro, & Helleſponto, vbi venti ſeptentrionales regnant; Pariſienſes itidem ventis aquilonaribus ſubiectos phlebotomiam ferre in pleuritide ob eandem rationem; contrà verò Narbonenſes, & Lugdunenſes, eo pręſertìm loco, qui auſtrum ſpectat.

An nè Romanum Clima mutatum eſt, cum noſtris temporibus ibidem pleuriticos venæ ſectiones tolleraſſe, maximamq; opem ab hoc remedio reportaſſe obſeruauerimus. In tota verò propemodum Gallia, vt referunt, indiſcriminatìm venę ſectio pleuriticos iuuat. Fortaſsè in veſtris regionibus improbè nimis eflat auſter, & qui, iuxtà Hippocratis obſeruationem, *auditum hebetare, caputque grauare caligine conſueuit*.

Aphoriſ. ſex. 3.

uit. Hac de cauſa vanam in vobis excitat ſpeciem timoris in curanda pleuritide, alijſque inflammationibus. Eſtote tamèn animo forti; & experimini hoc remedium, vt maturum de eodem iudicium proferre valeatis.

Hactenùs demonſtrationes, quas in huius capitis principio promiſeras, non legimus, quamuis ad finem ferè peruenerimus, ne vlla quidèm omiſſa periodo. Videamus tandèm quid pro coronide habeas. *His actis*, inquis, *quid interim ego ſentiam referre nitor in arcenda pleuritidis curatione à phlebotomia. Non flocci habeo experientiam ſtultorum magiſtram, dùm rationes palam facio; his quippe experientia non refragatur, veræ igitur ſunt iudicandæ. Comminiſcuntur Galeniſtæ, ſanguinis circuitus ignari, illum ad læſam partem accurrentem, phlebotomia ſiſti poſſe, ac retrahi; Aiunt enìm ſanguinem in venis immobilem eſſe tamquam in dolio vinum, & poſſe aliquando à partibus læſis trahi in auxilium, veluti cucurbitula, vel ſaltèm à natura, vel aggrauata à copia, vel à qualitate irritata ad partem debilem trudi. Sed nugas effundunt, vt ſanguinis circuitus docet. Non ſum dubius ſanguinem egreſſum, ſi alicubi ſtagnauerit, & tumorem procreauerit, ſola vena ſecta educi* Pag. 256.

non

non posse, verùm illa eiusdem exolutionem, & per poros euaporationem impediri, sanguis enim illuc transiens, suo impulsu, sua atmosphæra, quoduis obuium impellit, exoluit, metheorizat; Quæ solæ operationes in hisce affectibus promoueri debent.

Circuitum sanguinis, quod superiùs *postulati loco* assumpseras, quis hodiè negat? Hoc autèm supposito: exinaniri phlebotomia exuberantem copiam sanguinis, eiusdemque compesci efferuescentiam, qua vasa nimium alicubi tument, inflammationemque concipiunt, quis dubitat? Hisce autèm peractis, quis non videt nimium super affluentis sanguinis ad intentas, inflammatasque partes confluxum, congestionemque præpediri? Quis neget venæ sectione, resistentiam nimiam adimente, adiutas vasorum distractorum tunicas faciliùs contrahendas fore? Quis neget hoc de nomine, quod in minimis hærebat vasis, ipsaque distendebat nimis, dimotum iri faciliùs? Reliquum verò, quo morbus constituebatur, faciliùs itidem resolutum iri? Si non alias rationes habebas, animosè nimis te demonstraturum promisisti venæ sectione inflammationes non fore curandas. Quod enìm in fine denique affers: venæ sectionem non esse ex ijs remedijs

extremis, quæ Hippocrates morbis extremis optima esse docet, *sed phlebotomiam* non minùs quam catharsim esse morbum extremum, tædet iam refellere, cum huiusmodi nugæ, præterquam quod iàm superiùs explosæ sunt, re ipsa falsitatem præseferant manifestam. *Primo Aphoris. 6.*

CAP. XV.

In quo Dominicus la Scala demonstrare aggreditur ab erisipelate phlebotomiam non indicari.

QVid sit erisipelas, quibusuè causis excitetur, ex ordine explicare huius loci non est. Tu recétioribus dogmaticæ scholæ asseclis partìm assentiris, partim ipsos illuminas; Assentiris equidèm dicentibus ex sanguine potiùs, quam ex bile (quemadmodùm rebantur antiquiores) fieri erisipelas, vt constare videtur ex colore rubro, sanguinis proprio, ex temperamento illorum, qui huic morbo sunt obnoxij, calido, & humido, habitu corporis sanguineo, atque ætate consistente, cui sanguis, Galeno teste, magìs luxuriat, nec non ex natura partium, quæ tentari solent huiusmodi affectione, suntque *Pag. 258.*

 femora,

femora, crura, fauces, collum, aliæque carnosæ partes, potiùs quam siccæ, & exangues; erisipelatis notas, quibus à phlegmone discriminatur, refers: quod nimirum illud celeriùs rubrum fiat, & calidum, inflammatio verò magìs tumeat, pulset, renitatur, ac tendatur, quod compressum digito erisipelas dealbescat, non verò phlegmon, nisi validè admodùm reprimatur; crassior enìm existit in hoc sanguis suffusus, calidior autèm, ac tenuior in erisipelate. Quodque tantus in hoc, aut acris adeò sit calor, vt quandòque vlcera, & vesficulæ, veluti in ambustis excitentur, non item in phlegmone, & quod tandem serpat erisipelas, migretque in partes vicinas, inflammatio verò stet semper in eodem loco.

Pag. 259. *Vera tibi videntur*, quæ præfati recentiores asserunt, non *in phlethoram simplicitèr* huius mali causam referentes, *sed in deprauatam, & peculiarem sanguinis qualitatem*, cuius malitia naturam sollicitat, præcedente horrore, febre, ac tumore quandoque, nec non dolore in proximioribus alarum, inguinumuè glandulis; tùm succedente expulsione ad estimas partes, citrà periculum quidèm, nisi fortè materia conclusa suppuretur, aùt ab exterioribus ad interiora conuertatur, iuxtà monitiones Hippocratis.

Tandèm

Tandèm antiquitatis tenebris lucem effusurus, inquis, *quæ hucusque Neoterici Galenistæ de erisipelate dixere, & si ab antiquorum Galenistarum opinione dissentiant, non ideò erisipelatis etiologiam detexere, vt palam faciam: Recurrunt enìm ad ignorantiæ filiam, ad deprauatam scilicet, & peculiarem, seù occultam sanguinis qualitatem. De eiusdem causa conuenit apud recentiores, eam ab acido peregrino pendere; sed vndè deriuetur, non constat. Quod erisipelas pro causa agnoscat acidum, patet, quia lixiuialibus, fumo, siue sale volatili, creta, farina, furfure, felle, alijsque alcalicis curantur, quæ virtute pollent aciditatem reconcentrandi, &c.* Hoc acidum, aut limphæ vitio deberi subdis, aut succo pancreatis, aut etiàm succo in neruis delitescente. Ruborem in erisipelate asseris ortum debere sanguini in vasis capillaribus, vel carnium poris stagnante, *ob incipientem coagulationem ab acido peregrino prouenientem*. Cessare febrem commentaris, quando illud acidum fermentum in cutim demigrat, libera tùnc temporis remanente massa sanguinea.

7. aphor. 20. & 6. aphoris. 20.

Pag. 260.

Ergò tàm paucis eget litteraria Respublica, vt antiquitatis tenebras illuminet? Acidum peregrinum sufficit, duo hæc verba desiderabantur

ad erisipelatis etiologiam detegendam! Imò subdere adhùc poteras vlcera erisipelati superuenientia deberi acido, cui vim huiusmodi attribuunt *occultæ istius* philosophiæ professores, scilicet dùm ignis exulcerat, vessiculasuè attollit in cute, acidum est in igne delitescens, quod hoc præstat! Quo circà abs re tùm veteres, tùm recentiores Galenistæ (quorum lis de nomine tantùm est) feruidiori sanguini, aut ignea propemodùm natura instructi affinxerunt vim producendi erisipelas, nàm acidum peregrinum animaduertere debuerant!

Quod erisipelas pro causa agnoscat acidum, patet (inquis) *quià lixiuialibus, fumo, siuè sale volatili &c. curatur*: Vnum tamèn admonere te velim, quod dùm erisipelas tentat faciem, aùt manus, si eiusmodi medicamenta partibus inferioribus applices, eamdem planè curationem præstabunt; Ego enìm sæpè sæpiùs expertus sum erisipelas euanescere absque vllo remedio topico. Sed quomodò probas farinam, furfur, & cætera præfata in erisipelate prodesse, quatenùs acidum infringunt! Non nè in cuiusque hypothesi præsto sunt rationes, quibus id, quod pręstant, explicetur? satis est adnotare omnia planè topica, quę applicari solent, aut feruorem

com-

compefcere, vt farina, cęteraque huiuſmodi, aut reſolutionem promouere. Sed videamus, an nè promiſſas demonſtrationes proferas hoc in capite, cętera omnia verba tua referentes.

Vt igitur tandèm, inquis, *huic eriſipelatis diſquiſitioni finem imponam, dico, quod in eriſipelatis curatione Medici ſcopus eſt, vt talia adhibeat medicamenta, quæ eius cauſam infringant, & expugnent: Hanc fermentum acidum eſſe demonſtrauimus: acidum igitur debellare debemus, non ſanguinem inſontem. Huius effuſionis examina malè computata graui periculo obnoxium reddunt hoc auxilij genus. Sed firmitèr perſuaſus ſum cum Neotericis citrà venæ ſectionem (experiatur qui velit) cùm antacidis intrò, & foris adhibitis eriſipelas facillimè curari. Quæ methodus numquam me fefellit, cum innumera eriſipelata in Xenodochio Meſſanenſi, intrà breuè tempus curauerim. Audi Ioannem Muys obſeruatione quinta de eriſipelate cruris. Morbum hunc* (inquit ille) *intra biduum in totum ſanaui vnico lauamento acidum temperante, & conſtante ex ſpiritu vini, camphora, lythargirio, creta, ſalè prunellæ, &c. Quapropter* (concludis) *ſtudendum eſſet, vt ex cauſis acidum peregrinum reconcentrantibus congrua pro curatione præſidia*

elige-

eligerentur, & non per immanes venæ sectiones, more Andabatarum, miseros patientes ad vitæ exitium ducere.

Videmur ne facturi rem ridiculam hisce tuis obiectis respondentes? in erisipelate, quod foras erupit cessante febre, alijsque periculis, nec Galenus, nec alij sanguinis missionem instituunt, imò frustranea sunt, vt innuimus, etiam topica remedia. Si verò sanguinis copia, orgasmusuè obstent, quò minùs erisipelas, vt par est, foras erumpat, aut indè aliquod immineat periculum, quomodò probas à venæ sectione abstinendum esse, quam in hisce casibus omnia propemodù n sæcula maximè opportunam experta sunt? Profectò si aliquid contrà hanc doctrinam attulisses, falsitatem obiectionis tuę demonstraremus. Cum verò nihil attuleris, vt apparet ex tuo contextu, cumque id satìs constet ex superioribus, breuitati studendum est.

CAP. XVI.

In quo Vuillisij rationes phlebotomiam confirmantes Dominicus la Scala iudicat.

TAmètsi ad phlebotomię necessitatem confirmandam

firmandam doctissimę Vvillisij, aliorumque à te relatę rationes conducant, non ideò tamèn huius, vel illius Auctoris defensioni adstringimur. Satis est enìm noua tua, & aliorum commentaria contrà magnum istud remedium falsa demonstrasse: Nihilominùs libet etiam Vvillisium, aliosque à censura tua liberare.

Obstupuisti, & miratus vehementèr es Thomam Vuillisium inter argumenta sua illud etiam attulisse ex sacris litteris depromptum, sed nimis facilè imputas tanto viro, *quod ad ineptias extorquere voluerit*. Quid enìm, quod ineptum iudicari possit, Vvillisius protulit, inquiens: *legem Diuinam circumcisionis quasi venæ sectionis simbolum præcipere*, atque innuere videri: *ingenitas naturæ humanæ impuritates per sanguinis missionem aliquatenùs expurgari debere?* Mihi verò Clarissimus Vir modestissimè loqui videtur more suo, non ex Sacro Textu argumentum desumens, quo necessitas venę sectionis conuincatur, sed cogitationem tantummodò, haud illepidam proferens, qua cętera maioris ponderis argumenta sua confirmentur. Porrò quod inquit: pręcipuos omnes cuiusque sęculi Auctores phlebotomię mentionem fecisse, atque apud cunctas nationes, vt cumque barbaras, & incul-

Pag. 262.

tas

tas in vſu medico ſemper fuiſſe, adeò verum eſt negari à te ipſo non poſſit; cum reſpondeas *veritatem* non eſſe ſitam in opinantium numero. Et quamuis afferas nonnullos ex antiquis Medi-
Pag. 263.
cis phlebotomiam in ſuis ęgrotantibus omittentes, Criſippum, Anidium, Cnidium, Medium, Ariſtogenem, & Eraſiſtratum, atque ex recentioribus Paracelſum, Seuerinum, Artamannum, Scheunemannum, Quercetanum, Fabrum, Poterium, Petreum, Cruſium, Sala, Chergerum, Helmontium, ac denique Thomam Cornelium, Leonardum à Capua, Lucam Portium, quos tu ſequeris, *cæterique tecum maximæ expectationis*, vt inquis, *adoleſcentes*. Quid hi intèr tantos? Non iudico iſtorum, quos refers, nec aliorum qui contrariam opinionem ſequuti ſemper ſunt, auctoritatem; numerus autèm eorum, qui venę ſectionem omiſerunt, ad aliorum numerum, qui ſemper hoc remedij genus excoluerunt, adeò exiguam rationem habet, vt ne comparatio quidèm vlla fieri poſſit; Ideòque falsò inquis, *nutare Vuilliſij obiectum*, nàm re ipſa conſtat (paucis illis, quos retuliſti, exceptis) omnes quocumque tempore medicinam facientes in vſu phlebotomiam habuiſſe.

Abs re obijcis viros prȩſtantiſſimos Galilęum,

leum, Gassendum, atque Vuillisium phlebotomia extinctos esse; nàm alij quocumque tempore non defuerunt ægrotantes, qui non obstante venæ sectionis ope decesserunt; Non enìm erant immortales: Tu verò recensere non tantùm debueras fatalem Clariss. Virorum perniciem, sed afferre leuem aliquam saltèm ratiunculam, qua quis dubitare posset, an nè sanguinis missiones mali aliquid in illis casibus fecerint. Sed reliquas censuras tuas contrà meritissimum virum animaduertamus.

Vvillisius de phlebotomia ex ordine agens, causas recenset priùs euacuationum sanguinis vtilium, quæ spontè naturæ fiunt, vel in ijs qui febre tentantur, & in singulis hisce casibus inquit sanguinem erumpere, quatenùs *intrà vasa turgens, & suprà modum rarefactus, spatium ampliùs desiderat, quapropter ni portio quædam abscedit, tota statìm massa constipari, eiusque tùm motus inhiberi, tùm accensio suffocari, & crasis peruerti periclitantur*, duasque assignat causas, proptèr quas huiusmodi sanguinis oriuntur turgescentiæ; *In quantùm scilicèt liquor eius tùm inflammabilis, tùm fermentatiuus existit*. Deindè subdit, quod tù secundo loco retuleras capite tertio, videlicèt, *vt sanguis pro vita tuenda,*

eiusque functionibus ritè exercendis debitè accendatur, particulas huius sulphureas insitas nitrosis ab aere aduentitijs proportionari opportet. Quotiescumque igitur cruor valdè efferuescens, & rarefactus in compage sua plurimùm aperitur, & laxatur, adeòut sulphur solutum in maiore copia accendatur, etiàm ad nitrum vberiùs hauriendum, respiratio creberrima, & laboriosa instituitur. Quod si hoc modo sulphur exuberans eflagrando absumi, flammaque vitalis regulari nequit, proxima statìm pabuli sulphurei minuendi ratio est, vt sanguinis rarefacti portio quædam foras erumpat, &c.

Pag. 264. Responsio tua in hoc sita est, vt neges, ad minuendum sulphureum pabulum, sanguinis eductionem conducere, minui enim, inquis, pabuli sulphurei energiam non a sanguine, *ipsum educendo, sed particulis crassioribus id associando.* Sed remedium non affers, quo huiusmodi associatio fieri possit; Vvillisius autèm, cæterique rem medicam attentè facientes, numquam temerè adeò confidunt presidijs pharmaceuticis, vel chimicis, vt in occasione præcipiti tutissimum, atque efficacissimum, intèr omnia remedia, phlebotomiam omiserint, qua cæteroquìn crasis etiam sanguinis restituitur, seù illa, quam

affers,

affers, associatio recta particularum componentium, citò, atque efficacitèr fit, vt iàm ex dictis constat. Quod verò fusè magìs, quam efficacitèr contrà Vvillisium subdis: phlebotomiam non præstare *id quod ipsa operatur natura* per spontaneas euacuationes sanguinis, iàm superiùs falsum esse ostendimus, & re ipsa constat non minùs hæmorragias, quàm venæ sectiones à prudenti Medico administratas, sanguinem indiscriminatìm educere. Tu autèm, vt nudè, gratisq; asseris, ità probare aliqua saltèm ratiuncula debueras, naturam per hæmorragias non euacuare indiscriminatìm sanguinem, *sed peregrinum aliquod segregatum*. Hæ verò nugæ iàm superiùs explosę sunt.

Atque hinc patet te abs re Vvillisium carpere in responsione tua ad tertium argumentum. Totam Vvillisij doctrinam fusè à te relatam hic afferre inutilè est, cum notissima sint omnibus meritissimi viri monumēta. Tu in primis obijcis, quod iàm non semèl dixeras, *hæmorragiam criticam naturæ opus esse, quæ arti nihil imitabile relinquit. Hanc operationem moliri naturam fermentationis interuentu, illam comitante glandularum secretione*; Sed quæ glandulæ sunt sitæ ad orificia vasorum spontè aperta in hæmorra- *Pag. 265.*

 gijs,

gijs, quæ segregent, aut quibus natura vtatur ad delectum eius, quod è vasis educendum est? Quæ nàm fermentatio sanguinis separare potest in hęmorragijs sponte naturę factis, quod tu fingis secretum à reliquo sanguine? Non nè oscula vasorum aperta omnibus particulis sanguinem componentibus, & ęqualitèr fluentibus exitum prębent? verum quidèm est non minùs per spontaneas hęmorragias, quam per venę sectiones ritè celebratas confestìm cessare febrem. Id verò non solùm huius sanguinis effusioni est imputandum, sed etiam perspirationi insensibili, quę illicò motum sanguinis velociorem consequitur, quę reliquias causę febrilis penitùs foras eliminat; nec mirum ideò, si Vvillisius asserat, in febribus circà morbi crisim, *Hæmorragiam spontaneam, siquidem in tempore factam, phlebotomiæ cuicumque, cuius tempus optimum nescitur, longè præstare*. Hoc enim tempore materia, quę morbum constituerat, disposita magìs est ad hoc, vt foràs tota penitùs eliminetur per insensibilem transpirationem, statìm ac sanguinis motus opportuna hęmorragia factus est celerior. Quià verò sanguinis missio per sectam venam in febribus ad hoc etiam conducit, vt luculentèr iàm ostendimus, manifestè falsum est, quod to-

ties

ties pronunciasti *spontaneum illud naturæ opus hæmorragiam arti nihil imitabile relinquere*, & corruit facilè, vt vides, quod firmissimè contrà Vvillisium concludere putaueras. Cæterùm de principijs phisicis à Clarissimo Viro assumptis, quę vltrò increpas, non sumus solliciti; quin imò si aliquam tu fortè hypothesim attulisses, etiam minùs aptam, instituti nostri ratio eam reprobare non pateretur. Pag. 266.

Primam, & communissimam phlebotomię indicationem ait Vvillisius esse, vt plenitudo minuatur. Tù respondes plethoram esse, *ad libidinem confictam à Galenistis*, idque te demonstrasse superiùs, more tuo confidis; cum verò commentaria contrà plethoram superiùs allata manifestè falsa ostenderimus, inanem esse patet hanc responsionem, nec propterea *deprauata consuetudo* dici potest phlebotomię vsus. *Nec prudentiùs agunt contrà hunc morem* obstinati, tametsi respiciant rem medicam abstrusissimam; generales enim cognitiones sufficiunt ad humanos vsus in omni scientię genere, vbi omnia penitùs percipere datum non est. Nec suspecta redduntur in re medica generosa pręsidia, *quia de viribus ægrotantis prædantur*, vt inquis, nàm ex dictis superiùs patet, vbi res exigit, aut vbi pericu- Pag. 269.

periculum imminet, inſanum eſſe timorem huiuſmodi, ea propemodùm ratione, ac inſanus eſſet naufragus, ſi renueret ad proximum littus appellere, ne validè natans, manuſque tendens, detrimentum virium pateretur. Subdis, *artem medicam nullas in homine ideas morboſas cogno-*
Pag. 268. *ſcere, quià nulla hominis mens omnis eſt perfe-ctionis capax*, *atque hoc eſt*, inquis, *quod praxis quotidiana, triginta annorum curriculo, in Noſocomio Meſſanenſi celebrata confirmat, in qua iugitèr* tibi *videre licuit, febres ardentes, malignas, deliras, comatoſas, peripneumonias, pleuritides fœlicitèr ſolis ſpecificis alterantibus, & copioſo aquæ potu, abſque phlebotomia curatas.*

Et profectò, qui Medicæ arti parùm confidis, *nullaſque in homine ideas morboſas* cognoſci poſſe putas, ſoli naturæ (quæ re vera morborum medicatrix eſt, vt docuit Hippocrates) opus reliquiſti, triginta annorum curriculo in Meſſanenſi Noſocomio praxim exercens; expertus enìm ego quoque ſum agricolas, quibus medica auxilia præſto non erant, ab acutis huiuſmodi morbis nihilominùs euaſiſſe liberos ſola dieta, quam natura per inappetentiam ſuggerebat, ac ſolo aquæ potu, quem ſitis intenſa exigebat; obſeruaui tamèn in longum protractas huiuſmodi

miſero-

miserorum ægritudines, ac longè magis detritas ipsorum vires, quam si detracto sanguine multò citiùs (vt contingit) euasissent. Obseruaui etiam alios consimiles agricolas inflammationibus internis correptos in longum protracto morbo miserè per abscessus malos perijsse, cum intereà, ijsdem vagantibus morbis correpti alij opportunis venæ sectionibus passìm liberarentur; Tu autèm in Nosocomio Messanensi numerasti ne quot perierint? Sed fallacia experimenta tua in fine huius libri ad examen reuocabimus. Intereà responsiones tuas contrà Vvillisium prosequamur. Abusum phlebotomiæ citrà necessitatem Vvillisius respuit, eo *quod sanguis* (in sua hypothesi) *fiat magìs sulphureus, & minùs salsus; proindequè homines ad febricitandum, & pinguescendum disponat, quodque venæ sectio magnum alioqui remedium, si ad leues quascumque causas prostituatur, quando opus sit, ad graues affectus minùs efficax euadat, &c.*

Tu etiam in his, quæ contrà phlebotomiam Vvillisius affert, eumdem increpas; superuacaneum autèm esse duxi cauillationibus huiusmodi incumbere; nàm tametsi abusum phlebotomiæ, in statu naturæ integro, & citrà necessitatem

tem, ego quoque reijciam, non propterea hypothesim Clarifs. illius Auctoris sequor, nec omnia, quæ nudè asserit, defendenda suscepi.

Optimè inferiùs dixit Clarifs. Auctor phlebotomia sanguinis *mixtionem, ac temperiem sæpè emendari, idq; multiplici respectu. Primò enim*, inquit, *si quiddam ætherogeneum massæ eius confunditur, quod scilicèt, nec rectè subigi, nec facilè secerni, ac emendari possit vena pertusa, sanguis effluens, materiæ istius portionem non rarò multam secum foras conuehit, proindè, vt reliqua perdomari, aut expelli queat, &c.*

Pag. 270. *Phlebotomia*, inquis tu, *sanguinis mixtionem, & temperiem sæpè peruertere solet idquè multiplici respectu. Primò quià sanguis residui crasis fit deterior*, vt ostendisse contrà Vvillisium arbitraris; id autèm primùm expendamus.

Dixit Vvillisius, sed non probauit, imò nec rectè id deduxit, vt tu quoque admittis, sanguinem (phlebotomia citrà necessitatem celebrata) fieri magìs sulphureum, & minùs salsum, proindèque homines ferè quosuis ad febricitandum, & pinguescendum disponere. Tu verò id Vvil-

Pag. 268. lisium *non rectè deducere*, inquis, *cum obseruaueris homines repetita sanguinis missione ad hydropem disponi, quem corporis habitum pinguem imagi-*

imaginatur Vuillisius. Neutrũ nobis obseruasse datum est. Dicis insuper venæ sectionibus repetitis eneruari corporis viscera; *motum scilicèt ventriculi peristalticum, aliarumque partium languescere, vitiari digestiones, accumulari excrementa, quæ homines ad febricitandum disponunt*. Nec, leui saltèm ratiuncula, quod dicis, probare aggrederis. Atque id est, quod ostendisse iactas, dùm primò inquis sanguinis residui crasim fieri deteriorem. *Pag. 269.*

Profectò ista obseruatio tua speciem aliquam facit, qui enìm rationibus non vteris ad probandum id, quod asseris, auctoritate saltèm, siuè obseruationibus tuis rem suadere conaris; Cùm verò vbique passìm celebrentur venæ sectiones repetitæ, neque tamèn obseruent alij omnes, (præter te, qui hoc remedio non vteris) *ad hydropem illas disponere* (sicuti nec homines obnoxios reddere febribus); profectò si fidem vllam conciliare volueras obseruationibus tuis, operæ pretium erat casus saltèm particulares protulisse, vbi hæc obseruasses; nàm alioquìn corruit auctoritas tua contra innumeras, atq; innumeras equidèm obseruationes contrarias; Porrò cùm, præter auctoritatem tuam, nil aliud afferas, nec probes *eneruari corporis viscera*, languere mo-

tum ventriculi, aliarumque partium, vitiari digestiones, & accumulari excrementa per sanguinis missiones repetitas, sola verò auctoritas tua non sufficiat, cùm præsertìm experimentis careas huius remedij, quo non vteris, cumque cæteri omnes per Europam medentes id non obseruent, atque ex iam antedictis pateat euidentèr, missione sanguinis, prout res exigit, celebrata, non accumulari, sed purgari excrementa, & faciliores reddi quascumque secretiones; pace tua dicam nullius momenti esse, quod nudè asseruisti primùm contrà Vvillisium: phlebotomiam scilicèt *sanguinis mixtionem, atque temperiem peruertere, eo quod sanguinis residui crasis fiat deterior.*

Secundò, contrà præfatum Auctorem obijcis *illud ætherogeneum massæ sanguineæ confusum, quod neque rectè subigi, nec secerni facilè, ac emendari possit: vena pertusa, ac sanguine effluente non multùm exire, sed tantum illius ætherogenei educi, quantum permixtum erat illi sanguinis portioni, quæ, perforata vena, detrahitur; ac proindè non illud, quod in vasis sanguifluis minùs domabile remansit, faciliùs subigi, aut foras eliminari posse.*

Quàmuis autèm verum sit, quod exit secta

vena impurum pro ratione totius liquidi exeuntis, eliminari, falsò putas id, quod remanet, non subigi faciliùs, vt Vvillisius ait, aut foras excerni, nàm identidem ostendimus opportuna sanguinis missione augeri diapneustiam, cæterasque naturales euacuationes faciliùs haberi: Nec opus est rem satìs manifestam superiùs factam iterùm hic repetere.

Tertiò inquis, *venæ inanitæ non sufficientem cordi sanguinem aduehunt; Hinc eius ventriculi concidunt, quia non benè sanguine dilatantur; Hinc etiam non sufficienter se constringunt; cordis enim constrictio pari passu cum dilatatione ambulat, eadem namque vi se cor restituit, qua tensum fuit, & quæ vis fuit adhibita, vt cordis parietes tenderentur, seù dilatarentur, eadem eos in statum naturalem restituit.* Idque probas exemplo *globuli eburnei in incudem cadentis, ad eamdem altitudinem ex qua delapsus est, reflexi.*

Hic autèm mihi videris nouam de motu cordis sententiam supponere, tot celeberrimis huiusce sæculi viris contrariam; operæ pretium erat mentem tuam aperire; apud omnes enim propemodùm receptum est ijsdem machinamentis cor moueri, quibus cæteri mouentur musculi, vide-

licèt inflatione fibrarum celerrimè facta per admirabilem rarefcentiam fucci neruei, aùt fpirituum animalium, & particularum, quas fanguis fubminiftrat finulis earumdem fibrarum. Quo pofito, manifeftum eft fanguinem ad motum cordis concurrentem illum effe, qui ab arteria coronaria eiufque diffeminatis propaginibus fubftantiam cordis irrigat; Quod fi manifeftè pateat etiam detracta fanguinis copia, vbi res exigit, non defuturum neceffarium fluxum fanguinis per coronarias arterias, profectò vana erit ratiuncula tua. Manifeftiffimum verò id facit Doctiffimus Bellini, fed & manifeftum etiam ex dictis fuperius eft, vt in corollario ad finem cap. XIII., nam vires, quantitati fanguinis non funt neceffariò proportionales. Confidera neruos exiles, qui cor fubeunt, confidera venas coronarias amplitudinis maioris, quàm arteriarum, & percipies minimum effe, quod ab exilibus neruis deriuatur in cordis mufculos, ad ipforum contractionem neceffarium; percipies etiam ex amplitudine illa venarum coronariarum fanguinem reuehentium, minimum quoque effe, quod ab arterijs influit, in actionibus præfatis confumendum; percipies tu quoque, ficuti omnibus notiffimum eft, portionem fanguinis, quæ in con-

De miſs. sag. pro. XLV. & XLVI. & ſeq.

tractionibus

tractionibus cordis impenditur, & si minima sit, mirabili pollere vi rarescendi vna cum perexiguo succo ab exilibus neruulis irrorato, ideòque crassam nimis esse opinionem, quæ in sola mole sanguinis conseruanda, & augenda versatur. Quid amplius? Depone timorem, experire in morbis magnum remedium, quod omnes medicinam facientes inuenerunt optimum, &, sensu tuo iudice, fies certus motum cordis, qui plerumque in morbis venæ sectionem exigentibus, ob præfatum grauamen virium, languet, eductione sanguinis reuiuiscere validiorem, ac propterea, nedùm inuictis rationibus allatis, sed experientia quoque tua, certus fies falsa esse omnia, quæ contrà missionem sanguinis, vna cum alijs, obtrudis, & quæ contrà VVillisium in paragrapho mòx adnotato dicere pergis ad hanc rem pertinentia, nam reliquæ cauillationes inutiles ne commemorandæ quidèm sunt.

Quartò, (vt ordine incepto prosequamur) cum VVillisius optimè dixerit sanguinis temperiem non raro per phlebotomiam restitui; tu *perperàm* hoc illud dixisse contendis, falsòque asseris, absque vlla quidem ratione, sed sola tua consueta auctoritate confisus, sanguinem à temperie sua recedētem per phlebotomiam peruerti:

VVil-

Vvillisium *verborum tumidorum satellitio, rationis loco*, vti dicis; Tu verò intereà non nisi cauillationes inanes, circà verba ex hypothesi Chimica Vvillisij desumpta, profers. Verum est equidèm, quod *sanguis confusè detrabitur citrà partium discrimen*, sed ex dictis identidèm constat manifestissimè sanguinem phlebotomia ità disponi, vt faciliùs ab impuritatibus, quę crasim suam peruertebant, vel perspirationis, vel aptæ glandularum secretionis opè, liberetur.

Quintò, cum Vvillisius iuxtà hypothesim suam distinxerit *sanguinis statum, materiæ morbificæ tendentiam, ipsiusque naturæ vires in febribus præsertìm, vt indicationes mittendi sanguinis patefaceret*: tu respondes illum secundum sua
Pag. 273. principia supposititia conceptus suos dirigere, nec causam febris, nec illius inuenire remedium.
Pag. 274. Subdisque: *multò prudentiùs egisset, si respexisset an fermentum febrile in sanguine teneret dominatum, an in succo nerueo; an calor febrilis ab æstu sanguinis dependeat, an idem æstus à sulphure sanguinis exaltato, an à vehementissimo sanguinis motu excitato ob mordicationem factam à succo nerueo acri, intrà cordis musculum, vndè pulsationes tàm irregulares fiant; An sitis à calore dependeat, an ab ostructione ductuum sa-*

liualium glandularum; an venæ sectio sit vicaria sudoris copiosi, & exantematum. Hinc manifestum euadi Vuillisium mare difficultatum ingredi in determinanda venæ sectione.

Quorsùm autèm hæc? assume quamlibet hypothesim, ex ijs, quas tuo hoc contextu attulisti, certissimum est sanguinis missionem semper prodesse: siuè enìm causa febris in sanguine sit, siuè in succo nerueo, siuè calor febrilis ab æstu sanguinis dependeat, siuè à vehementissimo cordis motu per acrimoniam succi neruei concitato, phlebotomia æstum sanguinis compescit, vt iàm vltrò patet ex dictis, phlebotomia succi neruei acrimoniam corrigit eadem de causa, emendando scilicèt sanguinis vitia, vndè pendebat succi neruei, vt & aliorum laticum acrimonia; siti verò medetur sanguinis missio, tàm à calore pendenti, quam ab obstructione saliualium glandularum, illi quidèm dictas ob causas, huic verò, quià infarctus glandularum tollit, sanguinis circuitum liberiorem promouendo per vasorum angustias. Quamobrèm vanæ sunt huiusmodi contentiones tuæ, harumque omnium vanitas iàm luculentèr patet ex dictis.

Sextò, Vvillisius dixerat motus sanguinis inordinatos per phlebotomiam optimè cohiberi, aut

reduci,

reduci, *quapropter ad cephalalgias immanes, insultus quoque soporosos, aut conuulsiuos, aut catharros ophthalmiam, ac tussim, paroxismos arthriticos, & nephriticos, aut phlegmones, aut eresipelata; quinimò ad complures alios affectus ob sanguinis, aut seri fluxiones excitatos, venæ sectionem communissimè præscribi; Et quidèm, vt bono plerumque cum successu, ità cum recta ratione, quippè vasis inanitis, sanguis, spatium liberius nactus, placidè, ac imperturbatè circulatur: Porrò quidquid huius, aut seri extrauasatur, resorberi, inque cursum suum reduci.*

Tu, Vvillisium, inquis: *scire debuisse sanguinis motum inordinatum esse tantum effectum, & pro causa fermentum febrile in eo nidulans agnoscere, quod dùm per cor circulatur, eius fibrillas neruosas citatiore solito tremore concutit*; Hinc sanguinis motum *irregularem fieri, quo cor insurgens potentiori conatu pellit, & expellit.*

At nudè nimis hoc pronuncias: Istud fermentum tuum adstruis quidèm, sed non probas: desunt ne fortasse causæ, ob quas motus inordinati sanguinis fiant, nisi fermentum interpellemus? Sed vt liberalitèr, more meo, tecum agam, adhùc admissa hac tua causa, non nè per sanguinis missionem, faciliùs istud fermentum posteà

elimi-

eliminatur vel perſpiratione, vel ſecretionibus aptis? Hoc iàm ſuperiùs euicimus, iàm ſatìs ſuperque patet miſſionem ſanguinis hunc effectum magìs præſtare, quam remedia imaginaria, quæ corrigere ſanguinis maſſam, & fermentis reſiſtere arbitraris. Quapropter falsò inquis, *triſtiſſimi beneficij ream ſe exhibere phlebotomiam* cephalagijs immanibus &c.; cùm nihil aliud afferas, ſed velut ex tripode more tuo loquaris. Quod verò ſubdis de inanitione vaſorum, mihi certè ridendum videtur; non enìm tanta fit miſſione ſanguinis euacuatio, vt non relinquatur in venis, & arterijs tanta copia, quæ vitæ vſibus quibuſcumque ſufficiat. Pag. 275.

Vnum lego, intèr inania, quę profers in hoc paragrapho, veriſſimum, ſed quod tuę ſuperiùs exaratę opinioni contrà plenitudinem vitioſam aduerſatur. Inquis enìm: *Perperàm ſanè innumeris calamitatibus premitur corpus, ſi ſanguis vel deficit, vel abundat, cuius mediocritatem natura ſolam deſiderat; quarè cauendum,* ſubdis, *nè nimia ſit vaſorum inanitio*, & per conſequens cauendum eſt etiam, inquam ego, ne nimia ſit vaſorum repletio; nàm ſi mediocritate naturam gaudere fateris, abs re profectò dixiſti ſuperiùs vitioſum plenitudinis exceſſum non dari.

Iàm verò, his contrà Vvillisium frustrà prolatis alias ratiunculas, vel responsiones obtrudere pergis contrà effectus vniuersales, & particulares ab eodem Clariss. Viro sanguinis missioni adscriptos. Dixerat ille vulgo notum esse sanguinis missionem ab intemperie calida, & sicca indicari, & ab humida, & frigida prohiberi, ideòque in omni febre proponi solere, numquam verò in hydrope.

Afferamus integram responsionem tuam, vt, ea sola inspecta, quisque videat, an nè prorsùs inanis censenda sit. *Respondeo*, inquis, *vulgus cogi mentis suæ tenebras dissipare, & præiudicia, quibus obcæcatum est, tollere; Noscit vulgus euentum morbi per phlebotomiam curari; nescit tamèn modum euentus; hic conspicuus est cordatis viris, ignorantia, ac præiudicijs liberis*. Quid ad rem facit hæc magniloquentia tua? profectò aliquam responsionem afferre debueras, vt te etiam *cordatum virum ignorantia, ac præiudicijs liberum* manifestares, quemadmodùm te esse credimus. Patet autèm necessitas huius remedij in febribus curandis ex ijs, quæ iam diximus.

Quod attinet ad effectus particulares, Vvillisius dixerat: nullam corporis regionem, aut partem esse, quæ sanguinis auocationem, & extrà

missionem

missionem eius non postulet, quoties iste alicubi tumultuetur; caput dolens, cerebrum sanguine, aut sero oppressum, oculorum phlogosim, faciei, oris, ac gutturis inflammationem; pectoris, ac præcordiorum morbos omnes, (vtpotè quibus singulis vitium sanguinis originem, aut fomitem præbet), paritèr iecoris, lienis, aliorumque viscerum obstructiones, aut affectus inflammatorios, cuiuscumque membri tumores, & pathemata dolorifica, aut conuulsiua sanguinem veluti mali ominis auctorem accusare, eiusque missionem, quasi vindictæ genus quoddam, exigere.

Tu eamdem semper cantilenam profers, inquiens, in huiusmodi casibus non indicari missionem sanguinis, sed correctionem; quasi sanguinis missio non corrigat massam sanguineam, vt pluriès falsò dixisti. Nos verò identidèm iàm ostendimus, ne dùm phlebotomia corrigi sanguinem, sed efficacissimè, tutissimò, ac longè citiùs hunc effectum præstari, quam illis, plerumque inanibus, remedijs, quæ iactas acidum temperare. Ostendimus insuper longè citiùs stagnantem, aut lentescentem sanguinem, & lympham phlebotomia restitui, qua, & nimia resistentia minuitur, & velocitas eiusdem sangui- Pag. 277.

nis augetur; quin immò *tumores*, *ac tubercula*, quæ cæteroquìn facilè partibus affectis adnascerentur, opportuna sanguinis missione præpediri manifestum est ex ijs, quæ pluries diximus. Nec tamèn Vvillisius phlebotomiam commendans in capitis dolore, alijsque partium corporis affectionibus, adeò iniquè traducendus est, vt voluerit hoc remedium etiam in raris casibus illis conuenire, vbi sanguis nullo modo peccat; satìs est enìm ad ostendendam falsitatem opinionis tuæ, si hoc remedium conuenire pateat, vt iàm euicimus, vbi sanguinis vitio (quod plerumque contingit) morbi fiunt.

Pag. 178. Abs re insuper Vvillisij mentem traducis, non enìm ille sanguinem, aut serum omninò foras è vasis ablegatum denuò per sanguinis missionem resorberi intellexit, sed illum tantummodò humorem, qui vasa minima distendens, opprimit affectam partem, *seù circa locum affectum*, vt inquit ille, aggregatur. Hunc verò humorem in vasis minimis loci affecti stagnantem, illinc auocari facilè per venæ sectionem, iàm pluriès ostendimus.

Quod verò asseris contrà Vvillisium inflammationes partium non exigere venæ sectionem, quodque te superioribus capitibus probasse pu-

tas,

tas, falsum omninò esse ibidem palam fecimus.

Mirum tibi videtur, quod *Vuillisius non damnet in iecoris, lienis, aliorumque viscerum obstructionibus phlebotomiæ vsum, cum ab humore viscido, & ægrè amouibili ab illis meandris originem habeat*. Gummi Ammoniacum, in hisce casibus laudas, & iure quidèm meritò, sed profectò nullam admirationis tuæ causam habes; neque enìm sanguinis missio exhaurit spiritus, vt iàm ostendimus, sed sanguinem indiscriminatìm euacuans, hoc de nomine velociorem promouet circuitum residui sanguinis, qui hærentes illas particulas maiore impetu protrudit in succedentes venas, opem quoque ferente validiore vasorum contractione, ob imminutam resistentiam. Profectò si obstructiones viscerum, vel glandularum opportuna sanguinis missione circà initia tractarentur, non abirent in duros, atque incurabiles tumores, vt contigisse vidi, vbi neglecto magno isto remedio, purgantia improba longo tempore alij adhibuerunt: *fusiua*, & acidum concentrantia faciliùs obstructionibus viscerum medentur, quando sanguinis missio congrua præcessit. Pag. 278.

Frustrà repetis affectus inflammatorios non curari venæ sectione, vt superiùs dixisti, neque

ple-

plethoram, neque habitum athleticum; *ob rationes à te iàm dictas*, palam quippè fecimus inanes omninò, & nullius momenti ratiunculas eiusmodi esse.

Meritò Vvillisius etiam laudat venæ sectiones in affectionibus conuulsiuis; siuè enìm conuulsiui motus causa extrinsecùs neruosas partes impetat (quod plerumque saltèm in huiusmodi affectionibus contingere arbitror) siuè succo nerueo intrinsecùs admisceatur, vt Vvillisio placuit, verum semper est è penu sanguinis huiusmodi causas deriuari, & verum est insuper missione sanguinis faciliùs in perspirationem vrgeri posse, vt iàm superiùs euicimus. Quandò autèm motus conuulsiui succedunt malignis febribus, aut benignis malè iudicatis, in quibus iàm tempus venæ sectionis præterijt, aùt quandò peculiarem alicuius veneni etiam propinati naturam sequuntur, specificis remedijs vtendum esse, nec Vvillisius, nec alij negant. Spiritum cornucerui, quem
Pag. 281. *tu Messanæ in Nosocomio, fælicissimo cum successu, adhibes*, à Vvillisio præscriptum esse fateris; In ijs verò conuulsiuis motibus, qui *à lumbricis, calculis*, alijsque huius generis causis dependent, sanguinis missionem (nisi fortè alio de nomine indicetur) nec Vvillisius, nec alij, vt pro-
prium

prium remedium, præſcribunt.

Intereà obſtupeſco te adeò ægrè ferre, quod Vvilliſius Helmontium, eiuſque ſectatores phlebotomiam damnantes paulò acriùs increpet. Obſtupeſco, inquam, te de hoc celeberrimum virum accuſare, cum eodem contextu ipſum conuicijs oneres, inquiens: *Palam feci hoc meum opuſculum illis philiatris, qui experimentale philoſophiam profitentur, floci habentes principia chimica ſuppoſititia, quibus inductus Vuilliſius perperàm philoſophatur &c.* obſtupeſco iterum te, qui cæteros omnes propemodum *floci facis* ægrè ferre Vvilliſium, qui zelo percitus *phanaticos* medicinam euertentes increpet. *Pag.* 281. 282.

Sed tandèm (vt oculos noſtros liberemus à lectione immanis cenſuræ tuę, qua immeritò clariſs. virum carpis) id vnum ſupereſt adnotandum, quod ille obſeruauit, in valdè plethoricis *febre correptis, nec non pleuritide, peripneumonia, angina, apopleſia, alijſque magnis morbis, à ſanguinis turgeſcentia, aut incurſu phlegmonode oriundis, plebotomiam diminutam plùs officere, quam prodeſſe, præterquamquòd enim plethoram non tollit, alia de cauſa nocet, quia in magna plethora* (inquit) *plures, & ſanguinis, & ſeri portiones in receſſus, & anguſtias protruſæ,* *Vvilliſ. de phlebot. propè finem.*

trusæ, illic residere coguntur; quæ post vasa perpaulùm inanita in massam sanguineam impetuosè regurgitant, ipsamque valdè exagitant, & hùc illùc impetuosiùs adigunt; quapropter, hoc etiam respectu, vasa permultùm depleri opus est, videlicèt, vt præter laticem priorem ab angustijs liberandum etiam succo, ab exilio reduci, spatium concedatur, qui secùs cruori minùs congruè adueniens tumultuatur, &c.

Respondes primò quasi ex tripode, more consueto, plùs officere vberiorem sanguinis missionem, minùs verò diminutam, quià *fit maior sanguinis, seù virium iactura, & febris intenditur ob fermentorum intemperantiam, diminuto videlicet spirituum penu, à quibus temperies dependet, particularum salinarum cuspides obtundendo.* Sed huiusmodi sermonem tuum, iàm pluriès, & pluriès repetitum, omninò falsum non semèl ostendimus, atque fucatum lædendarum virium timorem solidis rationibus, & experimentis excussimus, euicimusquè prætereà missionem sanguinis refrigerare, atque humectare salubritèr, quo de nomine *particularum salinarum cuspides obtunduntur*. Respondes etiam *ad fucatam*, vt inquis, *obseruationem: experientia constare, ob diminutam sanguinis*

Pag. 283.

effu-

effuſionem, *totam eius maſſam minùs iuxto fermenteſcere*, neque vlla tamen experimenta, vt æquum eſſet, aut rationes affers. Sed huiuſmodi toties repetita commenta tua ſuperiùs iam falſa eſſe demonſtrauimus.

Abs re inquis Vvilliſium ſupponere magnam plethoram, *quam probare potiùs debebat*: excuſandus tamèn mihi videtur meritiſſimus ille auctor, ſi rem notiſſimam, plethoram ſcilicet, ſuppoſuerit potiùs, quam probarit; neque enìm illi datum eſt ſcire opinionem tuam, qua plethoram negaſti; nos, qui falſa huiuſmodi commenta tua euicimus, omiſſam à Vvilliſio probationem ſuppleuimus. Quod verò in magna plethora plures ſanguinis, & ſeri portiones in corporis anguſtijs ſtagnare facilè poſſint, quæ, vt inquit Vvilliſius, poſt diminutam ſanguinis miſſionem impetuosè regurgitent, ex dictis ſuperiùs de plenitudine facilè percipitur; nec vlla neceſſitas eſt, vt agnoſcas quomodò id fieri poſſit, ſatìs eſt enìm alios omnes id noſſe; quamobrèm abs re inquis, non percipere Vvilliſium, *à qua vi motiua inſinuetur ſanguis intrà capillares venas*: & ſi enìm loquamur in hyppotheſi Clariſs. Ioannis Alphonſi Borelli, (quam tu hic aſſumis, cùm tamèn inferiùs mechanicas Pag. 283.

 diſci-

disciplinas à re medicâ, verbis potiùs inanibus, quam ratione vlla proscribas), adhùc tamèn propositionis Vvillisij veritas constat, quià in magna plethora lentor sanguinis facillimè produci solet, qui satìs est, vt aliquid stagnet in angustijs corporis; & quoniàm parca sanguinis missio aliquem pro ratione detractæ resistentiæ impetum reliquo sanguini conciliat, vt ex pluriès dictis constat, manifestum est posse hoc de nomine particulas, quæ stagnabant, regurgitare, vt Vvillisius asseruerat.

Pro coronide, obseruationem Vvillisij reijcis pulcra sanè ratione! Cum enìm ille dixerit à diminuta phlebotomia homines incalescere, tu id negans subdis: *Consulat Vuillisius Chirurgum, à quo planè discet quamplurimos vix vulnere inflicto lypotimia corripi, ac frigere, cum pulsus languore*. Pulcra sanè ratio! Sed consule tu quoque Chirurgum, à quo planè disces id sæpè sæpiùs euenisse antequam vulnus inflictum fuerit, adeò verum est alia de causa id fieri, quàm sanguinis euacuatione.

Cætera, quæ in fine capitis habes, pura sunt conuicia, intèr quæ, si aliqua saltem esset ratiuncula, nos patientèr, more solito, responderemus, sed quià nihil prætereà superest, *breuitas*

ratio-

rationibus tuis commentitijs *colophonem* impo- nere iubet. *Pag. 285.*

CAP. XVII.

In quo Syluij de le Boè rationes pro phlebotomia Dominicus la Scala perpendit.

SYluius de le Boè rarò sanguinis missionem in methodo sua commendat, quandò scilicet sanguis superabundat nimis, vel nimis rarescit. Tu verò contrà eundem perpauca ex ijs, quæ pluries dixisti, repetis: Et primò *nescire illum plethoram sanguinis morbosam non dari, commentumque vulgare esse, vt in capitibus superioribus ostendisse credis.*

Quoniàm vero falsa omninò esse palàm fecimus, quæ contrà plethoram attulisti, nil hic dicendum superest.

Secundò rarescentiam nimiam sanguinis impugnaturus, iubes *illum naturæ volumina perscrutari, illic enìm inueniet*, (vt ais) *vasa animalis à sanguinis rarescentia nunquam ad postremum distendi cum disruptionis periculo, quià viuum corpus vndique est perspirabile &c.*

Tu verò in libro naturæ perscrutatus es

numquam dari poſse, nè exilium quidem vaſorum diſruptionem, quià numquam ad poſtremum vaſa diſtendi poſsunt? Peto autèm an obſeruaueris in Noſocomio Meſsanenſi ægros inflammatione aliqua correptos, vbi ſanguis extra vaſa in partem diſtentam ſuffuſus fuerit; vel peto an obſeruaueris hæmophtiſi affectos proptèr vaſorum rixim, an alios ægros etiam, vno verbo, videris, quibus vaſa aliqua, vi cauſæ internæ cuiuslibet diſrupta fuerint? Id enìm paſſim obſeruant vbique medicinam facientes. Quod ſi verum eſt, ac negari nullatenùs poteſt, de facto dari vaſorum diſruptiones, iam conſtat vaſa poſse ad extremum diſtendi cum diſruptionis periculo, niſi enìm diſtenderentur validè, non poſsent vi cauſæ internæ cuiuslibet diſrumpi, ſed ad ſummum erodi, &c, per con ſequens, neque hemophtiſis vnquam daretur per diſruptionem, aut rixim, ſed tantummodò per diabroſim, neque vnquam vera diſruptio vaſorum exilium, quæ per diſtenſionem fit in inflammationibus obſeruata fuiſset, quod eſt falſum; ac propterea, ſi attentiùs *naturæ volumina* perſcruteris, clarè percipies nil obſtare quo minùs exilia vaſa, ſi nimium diſtendantur, à rareſcente ſanguine, etiàmſi corpus vndique ſit perſpira-

bile,

bile, perrumpi poſſint, nam quandoque immanes rareſcentiæ oriri ſolent ab imminuta, vel ſuppreſsa perſpiratione, cuius materia, intrà vaſa cohibita, ſanguinem iam turgentem agitat, ac vaſa perexilia mirum in modum inflat, vt ex dictis ſuperiùs etiam conſtat.

Prætereà tu quoque ſuperfluam ſanguinis raritatem admittis, &, cum nihil omninò timeas exindè diſruptionis vaſorum periculum, ſanguinis miſſionem tamèn horrore perditiſſimo reformidas; inquis enìm: *ſuperflua raritas ſanguinis emendatur continuo condenſantium vſu accomodo, vt ſunt omnia acida, vel ſeroſa, vel aquea, vel incraſſantia. Hinc humorum raritas feſtinantèr ad debitos reformatur modos, abſque virium, ideſt ſanguinis, iactura.* Quià verò malè confundis cum ſanguine vires, quas non eſſe quantitati ſanguinis proportionales iàm ex ſuperiùs dictis conſtat luculentèr, atque ex alia parte huiuſmodi acida ſeroſa, & aquea, vel incraſſantia, quæ proponis, rem efficacitèr non abſoluunt, neque ab imminenti periculo ægrum citò liberant, prudens Medicus timere debet, quæ timenda ſunt, non verò quæ vanam ſpeciem timoris, tibi, cæteriſque Eraſiſtrateis incutiunt.

Pag. 287.

Hactenùs

Hactenùs contrà rationem Syluij de le Boè inanitèr disseruisti; *arridet iam tibi rationes quasdam pro tuenda phlebotomia, ex cuiusdam recentioris scrinijs depromptas silentio inuoluere*, ac prudentèr quidem; tanti enìm roboris sunt doctissimi illius recentioris rationes, immò demonstrationes, vt ne dùm illis respondere non possis, sed, si attentè lumina veritatis in illis contenta rimeris, spem faciant, fore vt à falsa tua pręcócepta opinione liber euadas. Hoc vnum tamèn vehementèr admiror, quod confidentissimè, & liberè nimis dicis, *rationes mittendi sanguinem ex motu illius in orbem depromptas, esse absurda commenta*. Obstupesco te, qui naturæ volumina perscrutari profiteris, non obseruasse: *animalis æconomiam nonnisi per leges mechanicas animo complecti posse*. Nos verò non possumus non comendare candidè miris laudibus grauissimum illum Auctorem, ac præceptorem humanissimum, qui rationes mittendi sanguinis ad leges motus, & ad mechanicam scientiam retulit, quibus proindè opus erat respondere te potiùs rationibus, si poteras, quam improba, & inani censura meritissimum virum tangere.

Pag. 288.

Cætera, quæ contrà sanguinis missionem in febribus sinochis, & omnia, vno verbo, quæ

caput

caput istud tuum complent, iàm toties repetita sunt, ac toties nullius momenti comperta, vt hìc ne commemoranda quidèm videantur.

CAP. XVIII.

In quo Ioannis Alphonsi Borelli rationem Dominicus la Scala examini subijcit.

CLarissimus Borelli, postquam nouam de febribus ideam tradidit, earumque causas non in vitium sanguinis, sed succi neruei contulit, arbitratus est phlebotomiam *parum iuuare, & parum nocere posse*, hac ratione ductus: quod alioquin ægri conualescerent in maiori proportione in ijs locis, vbi sanguinis missione vtuntur Medici, & è contrà. Nos doctissimum virum excusamus, quòd non ritè per experientiam rem didicerit; numquam enìm medicinam fecit, in qua profectò si se exercuisset, expertus fuisset, non parùm, sed multùm phlebotomiam in morbis iuuare.

De motu animal. prop. 233.

Tu verò, qui vel contrà communem omnium experientiam sanguinis missione multum ledi ægrotantes asseris, non alias aduersùs Clarissi-

mum virum rationes profers, quam toties decantata verba tua, phlebotomiam ſcilicet *ſanguinem, ideſt vitam* ſeù naturam demoliri, ac omnium ſæculorum experientiæ ſatìs perſpicuæ tenebras offundis, quaſi *apparentèr* miſſio ſanguinis iuuet, aut parùm noceat, in morbis ſalutaribus. Hæc verò mihi videtur arrogantia incredibilis, te, vna cum pauciſſimis alijs, tantùm audere, vt cæteros omnes Medicos, qui vbique locorum, qui quocumque tempore medicinam fecerunt, & faciunt, quique in medicina facienda ſalubrem, ac valdè proficuam ſanguinis miſſionem experti ſunt ſemper, atque experiuntur, infatuare confidas. Referamus modò quid pro coronide totius opellæ tuæ profers. *Si quis*, inquis, *ratiocinio noſtro nondùm planè conuictus, credat iàm phlebotomiam iuuare, illum adire iubeo ſtultorum, & ſapientum magiſtram, ideſt experientiam, quæ docet morbos periculoſos, potiſſimùm pleuritides legitimas, febres ardentes, abſque venæ ſectione fœliciſſimè, ideſt citò, tuto, & iucundè curari. Ego igitur*, ſubdis, *qui à teneris annis philoſophia experimentali ſum imbutus, non vulgari, quæ vana, contentioſa, ridicula, & garula eſt, oculo expurgato, in Noſocomio Meſſanenſi, læthales miſeris ægrotantibus*

in phlebotomia errores aſpiciens, quos Medici prouectæ ſatis ætatis, & apud vulgus magni nominis, cōmittebant, conſcientia impulſus, praxim oppoſitam eodem loco, vt Medicus ordinarius, per longam annorum ſeriem exercui, & in dies adhùc exerceo, eamq; totam in particularibus caſibus, citrà venæ ſectionem fœliciſſimè quotidiana experientia, contrà veneniferos aduerſariorum ictus, abſoluo &c.

Ohè vos omnes, qui medicinam facitis, ohè vos omnes, qui anteactis ſæculis experimenta fæliciſſima tradidiſtis de ſanguinis miſſione, reſipiſcite. Audiat vniuerſus orbis experimenta, quæ in Meſſanenſi Noſocomio noxiam ſanguinis miſſionem oſtendunt. Tu verò qui à teneris annis *philoſophia experimentali*, & non vulgari quidèm imbutus es, perge litterariam Rempublicam illuſtrare; ne ſupprimas quæſo philoſophica experimenta tua, & qui totius mundi errores expungere aggreſſus es, circa phlebotomiæ vſum, philoſophiam experimentalem tuam proferre ne verearis. Vide tamèn priùs an ne vtilior ſaltèm, & minùs falſa futura ſit, quam tua circà ſanguinis miſſionem experientia.

Nobis intereà duo adnotanda ſuperſunt, vt vulgus errores vitare poſſit: naturam videli-

cet, vt Hippocrates monet, morbis mederi; morbosque salutares maioris inæqualitatis proportionem valdè magnam ad alios habere; quod re ipsa manifestissimum est, cùm pluriès quisque ab incursu causarum non naturalium ægrotare soleat, semèl verò tantum moriatur homo. His igitur positis, atque ritè perpensis, non miror si tu quoque opinione præconcepta irretitus, in proprijs experimentis hallucineris. Natura in morbis curandis admirabili quidèm, quàmuis manifesto, vtitur artificio; dietam vtpotè valdè necessariam instituit, interdicendo famem, ac refrigerium in febribus comparat administrante siti; crises, quà facilior paratur via, molitur, morbosque omnes, qui nullatenùs ancipites sunt, sed omninò salutares, hiscè medicamentis curat; Vtinàm verò sicut bruta curarum tristium, atque improbarum expertia sunt, ità quoque nos homines virtute duce, nosmetipsos ab ijs, quę animum affligunt, curis liberaremus, vel vtinàm, sicut illa, libidinem, atque appetitus enormes declinaremus, nàm si hoc nobis datũ esset, medicina fortasè minùs indigeremus; quià tamèn abusus rerum, quas non naturales vocant Medici, facit, vt crebrò in morbos varios incidamus, multaq; vitia latices nostri corporis con-

cipiant, non raro euenit naturam ipſam præmaturè opprimi, atque deficere. Sunt ergò alij quoque morbi læthales, ſunt & alij ancipites ætati cuilibet, quibus ſi prudens Medicus dexteritate ſumma obuiam ire in principijs feſtinet, liberatur æger, ſin minùs exacerbantur adeò, vt preſſa morbo natura ſuccumbat, fiuntque ità illi, qui ancipites erant, morbi, omninò læthales. Qui autèm ſuaptè natura ſalutares ſunt ad læthales ſimul, & ancipites valdè magnam, vt diximus rationem habent. Supponamus itaque v. g. morbos ſalutares ad læthales, & ancipites eſſe, vt 100. ad 10., atque ex his decem ponamus ſeptem ancipites eſſe, tres verò reliquos læthales, tùm adeamus noſocomium Meſſanenſe, à quo phlebotomia damnata exulat, putas ne rei veritatem adeò facilè inueniendam fore, vt pronunciaſti? admitto quidèm te plures vidiſſe morbis acutis laborantes abſque ſanguinis miſſione ſanatos, animaduerte tamèn morbos illos etiam inflammatione conſpicuos, verè ſalutares fuiſſe, quos dieta ſola, quamuìs ſegniùs, reſoluiſſet. De ijs verò morbis, quos ancipites eſſe diximus, & in quibus, ni prẹſto ſit efficax tutumque venæ ſectionis auxilium, valdè periclitantur ægri, quique in malos abſceſſus facilè conuerti poſ-

sunt, vt aduertit magnus Hippocrates, quid obseruasti, aut quid obseruare potuisti, si confusa ratio tot salutarium morborum, tanto excessu illos superantium, vix diligentissimo obseruatori, quique omnibus solutus curis, soli huic studio vacaret, rei veritatem assequi sineret? Spero equidèm te interroganti mihi annè in Messanensi nosocomio ægrotantes aliqui pereant, candidè responsurum non omnes, tua; quantumuis accurata opera, sanari, cum præsertìm audiuerim, & mecum alij quoq; audiuerint à fide dignis viris, non paucos ex tuis ęgrotis, non obstante industria tua, perire. Nec tamèn adeò molestus esse tibi volo, vt interrogem quot ex tuis ęgrotantibus moriantur, quotuè conualescant, non enìm puto te de morientium numero, ad calculum reuocando valdè sollicitum esse; satìs est ad conciliandam vulgi fidem, si dicas longè maiorem esse conualescentium, quàm pereuntium numerum. At verò, si ex superiùs adnotatis, constat fallax esse crassumque nimis hoc ratiocinium, quęso ne confidas promulgatę superiùs experientię tuę. Quod si non vereris phlebotomiam damnare contrà tot sęculorum obseruationes diligentissimas, te saltèm pudeat experientiam iactare de re, quam diligentèr (vt

innui-

innuimus) non obſeruaſti. Lege Hippocratis monitum in lib. de veteri medicina: *Plerique Medici*, inquit ille, *eadem*, *quæ mali gubernatores*, *admittere mihi videntur*. *Etenim illi*, *quùm in tranquillitate gubernantes delinquunt*, *non fiunt manifeſti*: *quùm verò depræhenderit ipſos ventus magnus*, *ac tempeſtas*, *palàm iàm conſpicui ſunt omnibus hominibus*, *quod ignorantia*, *&* *culpa erroris ſui nauem perdiderunt*. *Sic ſanè etiàm mali*, *&* *plurimi Medici*, *quùm curant homines nihil grauè patientes*, *in quos ſi quis etiàm maximè delinquit*, *nihil graue faciat*. *Sunt autèm multi tales morbi*, *&* *multò ſæpiùs*, *quam graues*, *hominibus accidunt*. *In talibus ſanè delinquentes*, *non fiunt manifeſti idiotis hominibus*, *&c.*

Pete alia Noſocomia, & ea prœſertìm, vbi Medici purgantibus pharmacis temerè in principijs morborum non abutuntur, ſed magni Hippocratis, & Galeni methodo accuratiſſimè inſiſtunt, celebrantque pro rei opportunitate ſanguinis miſſiones, & videbis quam falſa ſit opinio tua, quam vana formido, quam iniqua phlebotomię damnatio.

PAVLO

PAVLO FRANCISCO BRVNI PATRITIO ALBINGANENSI,

Viro grauissimo, amicissimoque, de re Medica optimè merito

MATTHÆVS GEORGIVS

Benè agere.



Issertationem de febribus, certa serie theorematum, atq; problematum, vt rei exposcit dignitas, edere mihi hactenùs datum non est. Quià verò frequenti curandarum febrium vsu, ideam piretologiæ concepi, quæ, & recentiorum anatomicorum hippothesibus congruat, & puriorem veterum doctrinam complectatur, hanc, vt necessitudo nostra exposcit, communicare, tecum duxi breui Epistola; præmittens in primis, duos esse ex nostris omni genere doctrinæ clarissimos, Ioannem Alphonsum Borelli, & Laurentium Bellini, qui altissimè in febrium causas penetrarunt, earumq; phænome-

na per motus leges, & necessitates mechanicas demonstrarunt; horumq; ideò hippotheses me sequuturum, vt omnium febrium causas perstringere, ac puriorem priscæ ætatis doctrinam nouis inuentis firmare aggrediar. Accipe igitur, ea, qua me prosequeris, beneuolentia, dissertationis istius prodromum.

Communis ne dùm Medicorum, sed vulgi ipsius notio febrium est, vt sit ipsa calor naturali maior, cum pulsus frequentia, ità vt veteres Medici febrem rati sint esse *calorem totius corporis à corde lædentem operationes*; Quià verò cor in febribus eatenùs tantum affici putabant, vt conceptum calorem extraneum in partes omnes corporis diffunderet, compertumq; est alijs præter calorem affectionibus cor ità laborare posse, vt calor exindè febrilis, ceù symptoma per totum corpus diffundatur, hinc est, quod illi parùm in febris theoria profecerunt. Vt igitur causas omnes, vndè ratio gignendæ febris deducitur, ex ordine inuestigemus, & generalis tandèm febris idea vno conceptu repræsentetur; animaduertendum est priùs ex pulsu frequentiore diutiùs perseuerante, maiorem solui per vniuersum corpus calorem, nisi quid impediat; cum enim à motu sanguinis per arterias, & venas

nas necessario soluatur calor, diffundaturq; per vniuersum corpus secundum naturæ leges, vt Phisiologis perspicuum est, pulsu autèm frequentiore multiplicentur impetus, quibus sanguis ex corde in arterias, & ex hisce in venas vrgetur, manifestum est maiorem exindè solutum iri calorem, quam vt status integer naturæ poscat.

Hoc itaq; posito, quoties contingerit pulsum frequentiorem ab alia quacumque causa fieri, etiamsi cor ipsum calore extraneo non afficiatur, febris procul dubio suborietur, accenderturq; calor, in quo proindè febris essentia consistere non poterit, cum ipsa illum natura sua præcedat. Si ergò ostenderimus posse frequentiam pulsus, & quidèm perseuerantem aliundè prouenire, quam à calore cordis aucto, perspicuum erit hunc febris naturam non comprændere.

Iàm verò, vt id ostendamus, assumatur hippocratica hippothesis, à recentioribus anatomicis demonstrata: cor scilicèt esse musculum, & proindè, vt cæteris datum est musculis, ad ipsius motum, vt cumq; fiat, necessarium esse influxum spirituum animalium per neruum cardiacum, atq; ità necessarium quidèm, vt pro varia ratione, qua influxus iste mutatur, mutetur & pulsus;

pulſus; videmus enìm, & per iram, & per laborem, & per ſtimulum doloris,& per quaſcumq; huiuſmodi cauſas, quæ efficiunt, vt ſpiritus animales frequentiùs in cor fluant, frequentiorem pulſum fieri. Sed video te, quæ ex hac firma hypotheſi deducenda ſunt theoremata, vel me ſilente percepiſſe; ac in primis non eſſe neceſſarium calorem ad pulſus frequentiam febrilem concitandam,cùm aliæ multæ præſtò ſint cauſæ, quæ ſpiritus animales in nerui cardiaci fines frequentiùs fluere cogant,etiam diutiùs.

Supereſt ne tedio te afficiam,ſumma tantummodò genera illarum omnium cauſarum exponere, & analitica methodo ad ſingulas cauſarum febrilium ſpecies deſcendere.

Summa genera hoc vno theoremate compræhendo: quod ſpiritus animales eatenùs frequentiorem pulſum concitent, quatenùs, vel aucto eorumdem momento, vel aliundè concepto impetu maiore,in cordis villos fluunt. Si enìm auctum ſit, vel multiplicatum momentum ſpirituum, neceſſariò intrà datum tempus, per tubulos neruorum, & per neruum quoque cardiacum fluet copia maior, ideoq; multiplicabuntur cordis contractiones; ſimilitèr ex maiore impetu aliundè concepto, idèm neceſſariò ſequetur; nec

alia de causa, quę in hisce non compræhendatur, fieri potest maior, aut crebrior spirituum fluxus in cor, nec proindè pulsus frequentior.

Momentum spirituum necessariò augetur, quoties multiplicantur liberiores particulę nerueum laticem constituentes, & solutę magìs fiunt, atq; ità causę omnes, quę humidum, seù retinaculum spirituum imminuunt, aut consumunt, quamuìs opem necessariam, viresq; suffurentur, momentum tamèn ipsorum, qui remanent, spirituum adaugent; inter has recenseo euacuationes nimias, exsicationes omnes, & vim caloris, illæ enìm humidum pręfatum imminuunt, hęc idipsum paulatìm abripit. Hinc ad singulas, quę ad hoc genus causę spectant, species descendo, & enumero intèr non naturales res aeris ęstum, moram ad solem, balnea calidiora, cibos, & potus calidiores, vigilias diuturnas, euacuationes immoderatas, nimiam venerem, tristitiam, sollicitudines improbas, contentiones animi, & similia, quę febrem inducere possunt aucto spiritum momento alterutra ex pręfatis rationibus, vt etiam inter causas internas, sanguis feruidior, acrior, particulis actiuis degeneribus nimis abundans, & magìs solutus.

Deniq; (vt ſecundum genus attingamus), quinq; animaduerto eſſe cauſas, quę maiorem impetum ſpiritibus imprimunt, à Clariſſimo Laurentio Bellini adnotatas: Prima eſt ſpecies momenti maioris, vt ipſe loquitur, idq; experimur in ira. Secunda eſt motus improbus corporis, quo ſuccutiuntur nerui, ideòque fluere crebriùs cogitur liquidum eorum, ſiuè ſpiritus in muſculos, & proindè quandoq; etiam in cor. Tertia eſt preſſio maior glandularum cerebri, quibus appenſa ſunt prima neruorum ſtamina; fit autèm hęc preſſio ex maiore dilatatione arteriarum piæ matris, huiuſq; cauſę neceſſitas euidens eſt inſpicientibus poſituram arteriarum illarum, ad contactum corticis cerebri vndecumq; intercurrentium. Quarta eſt omne id, quod cor ſtimulare poteſt, cum ad partem ſtimulatam confluat neceſſariò maior copia liquidi, vt idem auctor luculentèr oſtendit; ad ſtimulum verò pertinet etiam calor naturali maior. Quinta demùm cauſa eſt ſtimulus viuidus aliarum partium ſenſu præditarum, ad quas præſertìm neruea ſtamina pertingunt, proximam neruo cardiaco originem ducentia; fit enìm refluxus ſpirituum verſùs originem, indèque maior copia eorundem in neruum cardiacum deriuatur, iuxtà

De febrib.

In diſer. de ſtimul.

hypothesim viri meritissimi nuper citati. Ad hoc verò causæ genus refero etiam quidquid, citrà stimulum sensu doloris perspicuum, ità commouere spiritus potest, vt confertìm ad originem, indèq; ad neruum cardiacum irruant; Videmus enìm, & in hystericis, & in hypocondriacis prauas perspirationes, tametsi sensum doloris non pariant, ità spiritus commouere posse, vt in ataxias varias, & in motus etiam cordis inordinatos atq; febriles vniuersum spirituum systema adigant.

His positis facilè est iam ad alias omnium febrium causas internas descendere; enìmuerò plenitudo, præterquamquod ad primum ex duplici adnotato causæ genere spectat, hùc etiam reuocatur, quatenùs distendit vasa piæ matris; rarescentia, feruorq; sanguinis id ipsum necessariò præstat, & præterea ex rarescentia, & efferuescentia sanguinis particulæ stimulo instructæ possunt exurgere, quæ cor ipsum, aliasue partes sensu instructas feriant, vel saltèm tanta caloris copia, quæ idipsum faciat; deniq; lentor sanguinis in arteriolis minimis calorem quoq; producere potest, cum resistat magìs succedenti sanguini, cordis impetu perpetìm protruso, vndè pressio, & lucta maior, maiorq; propterea caloris solutio.

Sed, & poteſt ſanguis ità vitiari in craſi ſua, vt & ſi non ſemper ferueat, aut rareſcat, aut quocumq; modo incaleſcat, particulas tamèn degeneres in ſe diſperſas contineat, quæ alicubi ſensìm congregatę, in ſeparationibus glandularum, vel alijs modis inferiùs exponendis, vim tandèm, aut ſtimuli, aut fermenti febrilis acquirant; atq; hùc reducuntur cauſę febris, quas recentiores propemodùm omnes fusè ſuo quiq; conceptu protulerunt.

Quinque cauſas à Galeno adnotatas ad ſecundũ quoq; genus refero; docuit enìm optimè vniuerſa corpora plùs ęquo incaleſcere, vel ex motu improbo, vel ex putredine, vel ex conſortio alteriùs corporis calidioris, vel ex cohibita perſpiratione, vel cibo ad accendendam caliditatem accomodato; quas profectò cauſas, aut feruorem ſanguinis excitare patet, aut ſaltèm tantum caloris inuehere, vt exindè tandèm cor ſtimulo ſollicitetur; idq; fusè oſtenderem, niſi tibi moleſtus futurus eſſem, rem ſatìs manifeſtam fruſtrà proſequens.

Hæc meditabar circà febrium naturam, & cauſas, ex quibus facilè patere arbitror febrem non poſſe reduci ad vllum ex tribus vulgatis morborum generibus, & in primis ad intempe-

riem;

riem; calor enìm febrilis, vel causa, vel simptoma est: causa quidèm, quatenùs in sanguine consideratur, antequam cor stimulet, aut lędat, spiritusue concitet ad pulsum febrilem constituendum, simptoma verò, quatenùs ex frequentioribus cordis contractionibus augetur; multòq; minùs ad solutionem vnitatis, aut malam conformationem; tametsi enìm quandoq; huiusmodi morbi cum febre iungantur, ab ipsa satìs discriminantur; cumq; alibi animaduerterim tria hęc morborum genera solidis partibus tantummodò conuenire, dari verò pręthereà in fluidis vitia, quę morbi sint, scilicèt vitia in motu fluidorum ad actiones necessario, & morbi quidèm sint, non causę, nàm ab ijs vitijs proximè, siuè primò, & per se lęduntur operationes, absq; vllo affectu intermedio, luculentèr inferre posse ratus sum, febrem potissimùm ad hoc quartum, quod excogitaui genus reduci; est quippè, vt generatìm ipsam definiam, *motus auctus animalium spirituum, diù pretèr naturæ modum in cor fluentium, vndè pulsus frequentia, calor, & cætera symptomata pendent*. Siquidèm ostensum est causas cùm internas, tùm externas, in id vnum coincidere, vt fluxum spirituum animalium in cor frequentiorem concitent, ex quo solo

ſolo immediatè lęditur actio cordis, & cętera, quę ad febrem ſpectant neceſſariò deducuntur, vt non mirer, ſi Helmontius *exoticis* verbis *furorem Archei* febrem appellauerit.

Non immorabor in exponenda omnium febrium analyſi, quam à duabus primis differentijs *continua*, & *intermittente* auſpicari licet cum Galeno; nàm ſuo loco diſtinctè à ſummis hiſce generibus ad omnes vſq; febrium differentias deſcendemus, referentes etiam ad primum genus ephemeram, atque hæcticam; hic autèm tua patientia nimis abuti, tempuſq; terere in rebus notiſſimis non conuenit. Ea tantùm, quæ ad intermittentium febrium theoriam attinent, attingenda ſunt, vt problemata, quæ omnium vſq; adhùc ingenia torquent, quantum tenuitati meæ datum fuerit, elucidanda proponantur.

Primo de Criſib.

Continuæ febres eatenùs ab intermittentibus diſcriminantur, quatenùs in illis viget ſemper, operaturq; continuò cauſa, quæ fluxum ſpirituum in cor auget; in his verò non operatur perpetuò, ſed certis interuallis deſinit, atq; recurrit. Hinc ſi ſanguis à recta craſi recedat, non diſtendens nimium vaſa cerebri, non actu feruens, nec quoquo modo calorem continuò expromens, aut cor, aliamue partem ſentientem, ſtimulo,

quantùm in se est, sollicitans, alicubi tamèn præparet intereà certis interuallis materiam, vndè vel stimulus cordis, & partium sentientium exurgat, vel quomodocumque pulsus frequentior diutiùs concitetur, ex quo calor febrilis emergat, necessariò fiet certo interuallo febris, vt ex superius dictis patet; quomòdo autèm id contingere possit, breuiter innuam.

Suppone interim, vt libet, sanguinis crasim, exposita ratione, vitiatam; luxurient, v. g. suprà naturæ modum particulæ, vt inquiunt, biliosæ, vel alterius generis, quæ sanguini permixtæ, & inconspicuæ non stimulent, non ferueant, nec aliud quippiam ex dictis efficiant, sed tantummodò rationem particularum sanguinis ad inuicem, ipsarumq; ordinem, & posituram mutent, vno verbo crasim alienam, atq; degenerem constituant. Certum est, quod si sanguis (vt & quodlibet liquidum etherogeneum) crasim suam mutauerit, perspirationem necessariò mutabit; diuersa enim erunt interstitia particularum ab ijs, quæ recta crasis liquidi continebat, ideòq; subtile fluidum perspirationes omnes promouens (quidquid istud sit, de quo in physicis diuersa ratione, ac Des Cartes, agemus) diuerso momento per illa interstitia fluet, scili-

cet,

cet, aut maiore, aut minorē, quam in ſtatu naturali; & ſi quidem maius fuerit momentum ſuperabit maiores reſiſtentias, ideòq; neceſſariò in perſpirationem vrgebit, abripietq; particulas, quæ in ſtatu naturali perſpiraturæ non erant, præſertim ſi multę alienæ, ac degeneres particulæ luxurient; ſi verò minus momentum fuerit, minores ſuperabit reſiſtentias, ideòq; non omnes eodem dato tempore particulas abripiet in perſpirationem; quæ cæteroquin per hanc viam eliminandę fuiſſent; quamobrèm alterutro de nomine ſemper mutabitur perſpiratio, ſi mutetur ſanguinis craſis, vt & cuiuſcumque aliùs liquidi etherogenei. Patet autem id quoque autopſia, cum videamus ex lacte ſanguine, vino, & ſimilibus ſecundum craſim mutatis, diuerſa effluuia emanare, ſenſuſq; ferire diuerſimodè, guſtum ſcilicet, odoratum, cæteroſq; ſenſus aliter afficere; immò experimur perſpiratione ipſa febrili cutis colorem valdè mutari, & odoratum aliter tangi, quam in ſtatu naturæ integro.

Si ergo ex ſanguine, vt ſupponimus vitiato, eæ perſpirent particulę, quæ in ſtatu naturali, intra datũ aliquod tempus perſpiraturæ non erant, & hę altius cumulentur alicubi ad contactum neruearum propaginum, poterunt vim ſtimuli

per ſui multiplicationem aquirere, cum etherogeneę ſupponantur, & figuris ad id munus aptis inſtructæ eſſe poſſint, vel ſaltèm nil obſtat, quo minùs nerueas propagines obſeſſas ità mouere valeant, vt etſi ſtimulo doloris illas non afficiant, in oſcillationes enormes tamen à conſueto naturę modo diuerſas adigant, ita vt ſpiritus incolæ in motus tumultuarios vrgeantur.

Prodrō. de ſolid. intra ſolidum.

Quoniàm itaq; doctiſſimus Stenon obſeruat in partibus animalium, vbiq; eſſe cauitates, in quas (vt inquit) *ſecretæ à ſanguine partes fluido iſtius loci miſcentur, indè partibus ſolidis apponendæ, pariter ac in eaſdem cauitates relabuntur attritæ particulæ ſanguini denuò reſtituendæ, vt illius ope ad fluidum externum reuehantur*: Poterunt alienę illę à ſanguine ſpirantes particulę in his cauitatibus altiùs cumulari intra datum aliquod tempus, ipſaſq; replere, cùm in maiore proportione hùc propellantur, quàm vt eodem tempore per foramina, quę ad extrà vergunt, exitum habeant; idq; pręſertìm continget, ſi foramina iſta particulis alienis obſtruantur, vel quacumq; de cauſa occludantur, anguſtioraue reddantur, aut talia iampridèm euaſerint.

Iam verò hac ſola de cauſa manifeſtum eſt intrà datum aliquod tempus febrem fieri, & re-

currere

currere posse certo interuallo, cum determinatum tempus requiratur, vt illę cauitates aliena perspiratione repleantur, & hęc, vbi illas repleuerit staminibus nerueis circumdatas, stimulum dolorificum, vel saltèm oscillationes insuetas incutere posit, ac in refluxum turbulentum spiritus agere, febremq; tandèm, modo superiùs exposito, concitare, cum frigore, vel sine frigore, pro diuersa illius perspirationis natura, & diuerso tremore nerueis partibus incusso, tàmdiù duraturam, donèc frequentioribus cordis pulsationibus accensus calor perspirationem collectam consumpserit; & quoniàm in tertianis febribus videmus interuallo quadraginta horarum circiter recursum fieri, hinc determinamus illud idē datum tempus, quo collectio febrilis miasmatis fieri consueuit, quod à bile procedere non sine fundamento dicebant veteres, in sua hypothesi, vtpotè quia in longè minore proportione particulæ bilis sunt ad alias in sanguine existentes præter melancholiam.

Sed, & alia ratione potest explicari febris, hac de causa certo interuallo recurrens, nisi tibi arrideat allatum spirituum machinamentum. Collecta enim perspiratio febrilis, & iam præfatas implens cauitates, nerueasq; fibras præ copia di-

ſtendens, ãgere poterit in ſanguinem; vt mòx exponemus; ſcilicèt cum per foramina, quæ ad extra hiant, impendi non poſſit, propter ſuper affluentem copiam, vel propter occluſionem meatuum ad extra hiantium, neceſſe eſt cauitates impleri, & diſtendi, ideòq; ſtimulatis contractilibus fibris nerueis illarum cauitatum, neceſſe eſt perſpirationem iſtam degenerem per foraminula ſanguiferorum vaſorum, veluti per totidem ſyphunculos vrgeri, motumq; propterea ſubtilis fluidi deturbari, & introrsùm remeare cogi, quo tandèm impetu faciente, ac totum ſucceſsiuè ſui generis ſubtile fluidum commouente, ſanguinem rarefieri, & agitari neceſſe eſt. Nec deſunt exempla perexigui miaſmatis ſanguinem perturbantis, & in excandeſcentias febriles commouentis, ſi animaduertamus vim halituum venenatorum, miaſmata peſtilentia, hyſtericos afflatus, perexiguam ſaniem paronichię, cuius perſpiratio perditiſsimè feruet, cæteraq; huiuſmodi; vt non mirum ſit refluentem à noſtris cauitatibus perſpirationem per poros vaſorum in ſanguinem, refluenſq; cum ipſa per ſyphunculos illos fluidum ſubtile, introrsùm agere occurrens ſubtile fluidum, quod ad extra ſpirare nitebatur, ſpatiumq; maius ipſam materiã

affe-

affectare, impetum facere in sanguinis particulas, & rarescentiam febrilem excitare, donec soluto magis, magisq; calore, aliena illa effluuia dissipentur.

Quod si perspiratio praua cauitates duarum, aut trium partium repleuerit, quarum foramina, quæ ad extrà vergunt, priùs occlusa fuerint, hac lege, vt quemadmodùm vna pars, priusquam alia, fortè obstructionem foraminum contraxit, ita diuerso tempore in illis partibus ad turgèscentiam vsq; perspiratio cumuletur, & refluxus proindè, quem exposuimus, aut si mauis, immediata sanguinis turbatio diuerso tempore fiat, manifestum est etiam circuitus febrium compositos, alternè proportionales effici posse.

Hæc omnia doctrinæ Hippocratis, & Galeni omninò congruunt, si veterum illorum doctrina ad leges ęconomię animalis deducatur. Docens quippè Galenus superfluitates in partibus collectas esse causam circuituũ febriliũ, hasce intelligendas indicat pro materia perspirationis; inquit enim, *neque hoc per circuitus desinit fieri, quamdiù in particula gignente superfluitates, perseuerarit affectio*; subditq; *Impossibile est autèm solui remanentem dispositionem, si vniuersum corpus varijs refertum sit excrementis, ac multo* *De diferent. feb.*

etiam

etiam magis, si ijs accedat omnium, per quos excrementa membri excernuntur, adstrictio meatuum. Palàm est enìm per excrementa membrorum intelligi ea, quæ ex tertia coctione resultant, quæq; per transpirationem eliminari consueuerunt. Sed & magni Hippocratis doctrinę de flatibus respondent, quę de miasmate in cauitatibus cumulato dicta sunt, si ritè accipiantur, quę de vi flatus ad febrem ciendam Diuinus Senex tradidit.

Magni febrifugi vis, quæ in perspiratione consistit (vt facilè in causas rerum altè penetrans percipies) notum etiam facit miasma febrile, quod velut hostem illa petit, ac dissipat, in perspiratione consistere.

En igitur doctissime Vir Pyrethologię prodromus, quo non ad calorem, nec ad vllum ex tribus morbi generibus febrem reduci, sed ad quartum genus in motu fluidorum necessario, & esse motum auctum spirituum frequentiùs in cor fluentium, ad quem causæ omnes febris possibiles collimant, & ex febrili perspiratione circuitus, & recursus oriri breuiter innui; donec tantùm mihi detur otij, vt singula hęc, congrua theorematum, & problematum serie, fusiùs explicare, atq; meam liberare fidem valeam.

Intereà

Intereà ex ijs, quæ de ſanguinis miſſione di-
cta ſunt, patet hoc magnum auxilium multi-
fariàm ab omnibus propemodùm febribus in-
dicari, quantùm ad generalia remedia pertinet;
cumq; abſq; vllo ſtimulo, & abſq; vllo turbu-
lento motu hæc euacuatio fiat, motumquè re-
gularem ſanguinis, & aliorum fluidorum conci-
liet per directiones ſuas, manifeſtum eſt etiam
longè tutius eſſe remedium, quàm cæteras eua-
cuationes, quæ cum turbatione, ac ſtimulo fiunt.
Vale diù meritiſſime Vir, & me, quod facis, ama.

FINIS.



ERRATA.	CORRIGE.
pag. 20.lin.19.deffendendum	defendendum
pag. 26.lin.25. Papè	papæ
pag.32. lin. 8. Verùm	verum
pag. 33. lin. 16. inutilè	inutile
pag. 42. lin. 17. deffectu	defectu
pag. 45. lin. 19. quibusdam	quibuslibet
pag. 48. lin. 21. defficeret	deficeret
pag. 52. lin. 6. falsum	falsam
pag 80. lin. 4. efluere	effluere
pag. 89. & alibi Ckarletonij	Charletonij
pag.89.lin.16.duplici galaxia	de duplici galaxia
pag. 92. lin. 15. Soffredi	Sifredi
pag. 94. lin. 23. iudicio	indicio
pag. 96. lin. 23. æque bona	æquè benè
pag. 99. lin.13. compræssione	compressione
pag. 105. lin. 2. omnibus	in omnibus
pag. 108. lin. 7. dessumptum	desumptum
pag. 110. lin. 6. corelatiua	correlatiua
pag. 111. lin. 7. quandò	quod
pag. 120. lin. 11. facilè	facilem
pag. 120. lin. 19. agerit	aggerit
pag. 129. lin. 5. concludis	concludit
pag. 142. lin. 21. æquidem	equidem
pag. 168.lin. 2. negari	vt negari
pag. 181. lin. 23. illud	illum

Alij errores elapsi facilè auertuntur, sicut etiam isti, quos adnotauimus.

INDEX CAPITVM.

PVN-

CA-

CAPVT XVIJ.

CAPVT XVIIJ.



JMPRIMATVR
Vicarius Generalis Sancti Officij Genuæ.

1697. 7. *Iunij*.

IMPRIMATVR
Ex auctoritate Excellentissimi, & Illustrissimi Magistratus Inquisitorum Status.

Io: Franciscus Castagnola Cancell.

005644827

